



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Jacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv, De Fortitvdine Et Constantia Christiana Libri Tres

Lobbet de Lanthin, Jacques


Leodii, 1640


[urn:nbn:de:hbz:466:1-49140](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49140)





Th. 2881,

J. VI
26.









IACOBI LOBBETII
LEODIENSIS
ESOCIETATE IESV,
DE
FORTITVDINE
ET CONSTANTIA
CHRISTIANA
LIBRI TRES.

Societ. Iesv Paderb. 1655.

AD REVERENDVM ADMODVM
IN CHRISTO PATREM
MVTIVM VITELLESIVM
SOCIETATIS IESV

Præpositum Generalem; ipso conditæ
SOCIETATIS

ANNO SÆCVLARI.
M. DC. XL.

(* *)
(* *)

LEODII,
Ex Officina IOANNIS OVWERX, Suxæ Celsitud.
Typog. jurati è regione Palatij.

JACOBI LOBBETII
MEDICINAE
SOCIETATIS
DE
FORTITVDINE
ET CONSTANNTIA
CHRISTIANA
LIBER TERCIUS
AD
MAGISTROBVS ADMODVM
REVERENDIS PATRIBVS
MAGISTRO VICTORIO
SOCIETATIS
EXPONENS QVOD LIBER HIC
SOCIETATIS
A. M. D. C. C. C. C. C.

EXORDIUM
PROLOGVS

ADMODVM
REVERENDO PATRI
IN CHRISTO
PATRI MVTIO
VITELLESO
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO
GENERALI.

ANNO SÆCVLARI,

VOTVM SÆCVLARE.



Git olim, & quidē stu-
diosè, ac fortiter Adm.
R. P. Iacobus Lainius,
vt Generalatum, quem
annuente Societate vniuersa susce-
perat, eadē approbante aliquando
deponeret. Habitum eâ de re, Pri-
morum Patrum Concilium, atque
ex more ad suffragia itum. P. Bo-
badilla,

EPISTOLA

badilla, ut facili, & amœno erat ingenio, pro sua in eum benevolentia: ac præsertim pro studio curaq; fouendæ, atque augendæ Societatis, his suffragium suum verbis inscripsit.

Histor.
Societ.
P. 2. l. 5.
p. 122. *Quod ad Generalatum spectat, sententia mea hæc est; ut quemadmodum Constitutiones iubent, perpetuus ad vitam sit; inq; Tua Reuerentia ita sit stabilis, ut in annos dureret centum. Siq; post mortem ad vitam remigrares, meum suffragium est, ut munus hoc tibi reddatur, & usque ad supremum generalis iudicij diem prorogetur.*

Hæc ille calamo notauit, atque ut ijs fides maior esset, sua etiam manu signauit.

Scio & in scholis, & in pulpitis agitari potuisse quæstionē. Si vite,
cui

DEDICATORIA.

cui antea cessisset, redditus is fuisset, an etiam & officio? scio, inquam id à plerisq; ex iure negandum, scio tamen etiam ab omnibus ex singulari quodam in eum affectu fuisse concedendum. Et sanè concederemus illud ipsum omnes, Adm. R. P. V. si nobis primùm à morte eriperetur, ac deinde vitæ redonaretur. Verum, nè in eas quæstiones abeamus, sed potius demus aliud, quod extra litem, & controuersiam sit; illudque à Deo Rege sæculorum vno precemur ore, animoque, vt vitam (quâ ad commune Societatis bonum fruimur) Adm. R. P. V. faciat esse diuturnam, nec eam (si modo cæli leges patiantur) rescindi velit nisi quam tardissimè, & si placet, post sæculū etiam alterum. Primum enim (quæ fuit amabilis

EPISTOLA

Dei prouidentia) iam vidit: & si in eo quod haectenus gessit munere, centum annos non recensuerit: at saltem Societatem suæ curæ concreditam ad centesimum perduxit, & quidem adeo valentem, ac vegetam, vt iactare possit voces haud multum absimiles ijs quas olim Caleb apud Iosue.

Ep. Ro-
mæ da-
ta. An.
1639.
15. No-
uemb.

Hodie centum annorum sum sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missa sum: illius in me temporis fortitudo usq; hodie perseuerat tã ad bellandum, quam ad gradiendum,

Iosue c.
14. v. 11.

Minima Societas I E S V apud Imperatorem suum I E S V M hæc ingenuè profiteri potest. *Hodie centum sum annorum sic valens vt valebam eo tempore, quo primum enata, exploratum abij qua parte,*
qui-

DEDICATORIA.

quibusue vijs vtramque solis domum tuo subiugarem imperio: *illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat*: illius, inquam, temporis, quo Ignatium habuit Italia, Xauerium India, & Iaponia, Lainium Gallia, Rodericium Lusitania, Fabrū Hispania, Iaium Germania, Paschasium, & Salmeronem Hibernia; Codurium Velitre, Bobadillam Insula Ænaria; omnes omnino tanquam exploratores expeditos *tam ad bellandum contra Diuini Nominis hostes acerrimos, quam ad gradiendum ad vltimos vtriusque orbis fines.*

Et hi quidem sunt Societatis nostræ Duces, ac Progenitores, quorum fortitudo usque hodie in filijs, Posterisque perseverat. Et hoc tuo imprimis (ô supreme Rex sæculorum

Decem
Primi
Patres
toto fe-
re orbe
sparsi.

1081
1081

EPISTOLA

rum) beneficio; tua deinde gratia,
 Virgo Mater, & fauore vestro superi
 omnes: ac denique secundum il-
 los, labore, studioque tuo *Admo-
 dum Reuerende Pater*. Te enim
 illi Societatis IESU Præpositum
 Generalem voluere, vt ei talis esses,
 qualis ex Diui Gregorij voto Ani-
 marum Rector: *Mater pietate, Pa-
 ter disciplinâ*. Verum ne longius,
 sentio enim tacitè moneri me, vt
 parcam verbis, laudibusque tuis: &
 verò parcam, tuaque iubente mo-
 destia conticescam. Audebo tamen
 libellum hunc meum DE FOR-
 TITVDINE, CONSTANTIAQUE
 CHRISTIANA, tuo nomini
 inscribere. Erit ille syncerus animi
 mei testis, & licet rudis sit, atque
 impolitus, permixtus tamen cu-
 mulo aliorum operum, & locum,
 &

Pasto-
 ral, c. 7.

DEDICATORIA.

& gratiam inueniet: simulque (vt
ibi desinam vnde cœpi) deferet in
Vrbem Authoris sui votum simile
ei, quod olim fuit P. Bobadillæ: *In
Tua Reuerentia Generalatus ita sit
stabilis, vt in annos duret centum:*
neq; vnquam in terris desinat, nisi
vt in cœlis duret in sæcula, ipsam-
que, quanta, quanta est, æternita-
tem.

Leodio 6. Iulij,

ANNO M. DC. XL.

*Admodum R. P. V. seruus in
Christo, & filiorum minimus,*

IACOBVS LOBBETIVS.

LECTORI
BENEVOLO.

S*t mihi de Fortitudine, Constantiaq̃
Christianabrevis disceptatio, in qua ne me damnes, Amice Lector, quasi actū
agam. Scio Viros magnos, Scriptoresq̃ illustres in id fere
argumenti genus incubuisse. Lipsius à Doctis ingenij monumentis orbi notissimus, duos
Libros inscripsit de Constantia in malis publicis. Theophilus Rainaudus è Societate Iesu
calamū longius duxit, atq̃
etiam*


LECTORI BENEVOLO.

etiam de privatis malis multa
fusse, doctèq; in Posteris emisit;
uti & alij, quos in presentia
taceo. Quid igitur ab illis re-
liquum, inquiet vnus aliquis?
omnino permultum. Est enim
eius generis argumentum il-
lud, in quo ut copiosè dixeris,
supererit tamen quod efferas
copiosius. Et verò ab illis ali-
quid noui edere me credo;
quamuis de materia nõ noua.
Nam etsi Authores illos, a-
liosq; legissem ipse studiosius,
ex iis tamen omnino pauca, ex
Collectaneis meis quampluri-
ma eam in rem congressi; tibi-
que

LECTORI BENEVOLO.

*que reddenda putavi, beneuo-
le Lector, ut in malis, quæ nos
velimus, nolimus impetunt, a-
liqua habeas, si non tollendo;
at saltem leniendo doloris sen-
su. Quod si assequor, & meo,
& tuo etiam calculo rem uti-
lem fecero.*

LIBER



I

IACOBI LOBBETII
LEODIENSIS
E SOCIETATE IESV
DE
FORTITVDINE,
ET
CONSTANTIA
CHRISTIANA,
LIBRI TRES.

EX ijs malis quæ nos circumstant ac premunt: quædam nobis insita sunt, & quodammodo congenita; vt morbi, sitis, fames, aliaque prope innumera, quæ consequitur mors ipsa breuis æui meta: quædam deforis appellunt, & nos pul-
A fant

fant aliena potiùs maleuolentia ,
quam vitio nostro : quædam deni-
que non quemq; priuatum modo
inuoluunt, ac turbât; sed Ciuitates,
Respublicas, & Regna quatiunt,
fuisque veluti sedibus dimouent.

Ne porro hic etiam sapientis ani-
mum de sua constantia, & firma
quasi statione depellant, opere pre-
tium facturum me putavi; si de ijs
tres Libros scriberem, futuros ami-
co Lectori vel remedio, vel solatio.

Primus complectetur ea mala,
quæ naturæ quodammodo sunt,
ac necessitatis. Alter quæ aliorum
inuidia, culpave nobis inferuntur.
Postremus denique quæ ad publi-
cas attinent calamitates; quibus ad-
demus pauca de actu fortitudinis,
qui in aggressionem consistit.

P R O O E M I V M.

CAPVT I.

*Quid sit, & quotuplex
Fortitudo?*

Fortis esse, & dici potest vnus
aliquis, vel à robore corporis,
viq̄ue lacertorum; vel ab habitu Eth. 2.
qui animæ insidet, eamq̄ue dispo- Eth. 3.
nit ad ardua quæq̄; ac terribilia aut
suscipienda, aut sustinenda; vel de-
nique à potentiâ ad operandum:
hæc fere vni Deo propria, ac sin-
gularis; nec enim à corpore, & ner-
uosâ artuum compage fortis audi-
re potest, cum sit illius expers: nec
à qualitate menti diuinę insitâ: eam
enim non patitur actus omnino
purissimus, cui etiam nihil difficile
sit, & arduum: superest ergo vt ab

4 DE FORTITVDINE
infinitâ potentiâ, & agendi virtute
fortis appelletur Deus: at homo,
qui neruis compingitur, & hæret
offibus, ab illis quoque fortis nun-
cupari potest: sed ea fortitudo cum
animantibus illi communis: hæc
autem, quæ inheret animo, illi pro-
pria, ac singularis: & de hac mihi
in præsentia est disceptatio; & ve-
ro ea in scholis dubiâ, & ancipiti
doctorum inter se pugnâ pridem
est ventilata.

Q. 123.
ar. 2.

D. Thomas purioris philoso-
phiæ ocellus, fortitudinis nomen,
remque ipsam aliter, atque aliter
vsurpare solet.

Primùm pro firmitate animi in
bono honesto; & sic non vna, sin-
gularisq; est virtus, sed omni quo-
dam modo virtuti seruit, eiusq; cu-
stos est fidissima, ne à bono hone-
sto

sto vllis incommodis, aut periculis
auelli se, aut dimoueri patiatur.

Ea sententia prius placuit Am-
brosio; ita enim suauis eloquentiâ
discurrit.

*In duobus generibus fortitudo spe-
ctatur animi. Primo, ut externa
corporis pro minimis habeat; & qua-
si superflua despicienda magis, quàm* Lib. 1.
de offic.
c. 35.
*expetenda ducat. Secundo, ut ea,
quæ summa sunt, omnesque res, in
quibus honestas, & illud πένον cer-
nitur; præclarâ animi intentione us-
que ad effectum persequatur.*

Pressius ab alijs accipitur forti-
tudo, ut ea sit firmitas animi in su-
stinendis, & repellendis ijs, in qui-
bus difficillimum est animum re-
gere, & statum rationis retinere.
Vbi enim peculiaris quædam est
difficultas in retinendo rationis præ-

6 DE FORTITVDINE

scripto, ac dictamine, ibi necesse est, nos peculiari virtute dirigi: ea autem est fortitudo, & constantia quædam Christiana, quæ præsidio esse solet tum in variâ, & ancipiti fortunæ aleâ, aduersisq; casibus, quibus agitur, iactaturq; hæc vita mortalis, tum in ipsâ mortis imagine, ac periculis: in his enim sua est, eaq; maxima difficultas, vt quis decorè, & ex rationis normâ, & intrinsecus, & extrinsecus se gerat, appellente fluctu quodam, æstuq; multarum, & ingentiû passionum.

Nimirum vbi in hominem incurrunt, eumq; petunt tot pericula, & veluti quædam fatiscentis ac labantis fortunæ, vitæq; ipsius ruinæ; vel excitatur ingens timor, ad mali odium, fugamq; quem difficillimû est ita coercere, vt non
per-

perturbet, & ad aliquid indecori
 compellat; vel insurgit motus au-
 daciæ, impetusque ad impendentis
 mali repulsam: qui etiam mode-
 randus est, ne temerè in periculum
 eat, seseque præcipitet: vel vtraque
 affectio, alternantibus animi moti-
 bus, & veluti inter se confligenti-
 bus, exoritur, & tum vtramque si-
 mul ad rationis leges, ac placita
 reuocare, & ex ijs temperare oportet:
 quod officium est, & opportu-
 nus labor fortitudinis: quæ non
 vnius in omnibus ordinis esse so-
 let. Vna quippe naturalis est, qualis
 esse potest sine fide, & veri Numi-
 nis, ac religionis professione, qua-
 lisque fuit, in antiquis illis Heroi-
 bus; & hæc mortis pericula, fortu-
 næ inclinationes, vitæ incommo-
 da, atque aduersitates sustinet, ti-
 morem,

8 DE FORTITVDINE

morem, audaciamque moderando: vel eâ tantum consideratione, quia ita fieri decens, ac necessum est ab homine, qui ratione præditus sit, aut philosophiæ præceptis imbutus, aut illustri familiâ, clarisque maioribus prognatus.

Altera supernaturalis est, & fidem, affectumque naturâ superiorem præsupponit, & prudentiâ eiusdem ordinis, vt regulâ utitur. Hæc qualemcumque malorum incumbentium molem excipit, ac tolerat, vel eo tantum, quod agere, & pati fortia, sit Christianum.



CAPVT II.

Quæ sint partes fortitudinis?

Fortitudo nõ vna, simplexque qualitas, sed velut urbana quedam humanæ mētis est vestis, quæ
suis

suis constat partibus : eæ quatuor
ab Augustino recensentur.

Fortitudo, inquit, est *considerata* Lib. 83.
periculorum susceptio, & *laborum* q. 31.
perpessio: eius partes, *magnificentia*,

fidentia, *patientia*, *perseuerantia*.

Dicuntur illæ partes ex ipsius forti-
tudinis officijs, quæ in duobus po-
tissimùm sita; in *aggrediendo*, & in
sustinendo: ad quorù singula etiam
alia duo requiruntur.

Primùm *alacritas*, & quædam
animi promptitudo ad periculum
vltro quasi, & spontaneè suscipien-
dum; & hanc præstat *fidentia*: qui
enim de superando imminente pe-
riculo spem, ac fiduciam hauserit,
altèque admiserit, is facilis, ac pro-
nus periculum tentabit atq; induet.

Alterum est *strenuitas* in execu-
tione: & hanc tribuit *magnificen-*

A 5 *tia*,

IO DE FORTITVDINE

tia, quæ, teste Augustino, est rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione, cogitatio, & administratio.

Ab his duabus virtutibus, quæ fortitudini vel pedissequæ, vel comites, vel, si mauis, filix sunt, parsque matris non exigua; præsidium affertur, vis, & robur ad audendum, & aggrediendum.

Alterum Fortitudinis munus est grauia, ac difficilia pati, ac sustinere, & huic officio seruiunt binę virtutes velut illius administræ: hinc scilicet *patientia*, quæ tristitiam, doloremque compescit, animumque continet, ne hisce passionibus euietus, à recto, & decoro desciscat: inde vero *perseuerantia*, ne diuturnitate malorū quasi succumbens, & fatiscens bene cœpta abrumpat, & desinat.

Macrobius in somnio Scipionis, supra explicatis fortitudinis partibus, tres alias adducit, scilicet *magnanimitatem, securitatem, & constantiam*, quas tamen bonâ illius veniâ etiam alijs subijciemus, dicemusque ijs ipsis facile comprehendi; addemus tamen, tum lucis gratiâ, tum ad formandos mores, conditiones omnino viginti, quas Aristoteles in viro magno requirit. Lib. 4.
Eth.

Prima. *Dignum se honore existimare*: spectato scilicet officio, quod in Republicâ gerit, aut Dei ter opter max: donis, quibus alijs eminent.

Secunda. *Modicè honoribus etiâ magnis, & à bonis viris oblatis delectari*: à vulgo, & ob res parvas delatos contemnere.

Tertia. *In prosperis, & aduersis moderatum se præbere*.

Quarta.

Quarta. Non offerre se casibus
 paruorum periculorum, nec amare
 pericula, eo quod paruas res magni
 faciat; magnis tamen se exponere,
 & tunc vitæ non parcere.

Quinta. Acceptum beneficium
 maiore beneficio cõpensare, & quo-
 dammodo obruere.

Sexta. Neminem, aut vix quem-
 quã rogare, ne scilicet à quoquam
 pendeas, aut ei quidquam debeas,
 aut debere te fatearis.

Septima. Libenter alteri operam
 dare, atque inservire; vt omnes tibi
 obstricti sint, tu vero aut paucis,
 aut omnino nemini.

Octaua. Cum viris principibus,
 atq; opulentis, prestare se magnum,
 & excelsum: ne scilicet eorum au-
 thoritate opprimi te patiaris: aut
 inani, abiectâque assentatione plus
 æquo

æquo indulſiſſe videaris. Contra vero cū mediocribus, & infimis modestum, ac moderatum se exhibere; æmulatione quadam supremæ illius, ac diuinæ mentis, quæ humilia respicit, & alta à longè cognoscit.

Nona. Non se locis, aut functionibus honoratioribus ingerere: hoc enim ambientis est, & immoderati, nō magni animi argumentum.

Decima. Cunctari, & quietem agere, nisi res magna sit proposita; neque enim vis ingens, & robur arduum excelsæ mentis sese explicat, vbi angustus industriæ, laborique aperitur campus, nisi fortè, vt aperiat magis, & vt pauca faciat, sed magna.

Vndecima. Apertè odisse, ac apertè amare, quæ scilicet odio, vel amore digna iudicaris: apertè, inquam,

quam, quia timentis est, & seruilis animi, fronte occultare sententiam; sibi autem fidentis, liberiq̄ue sensum, affectumq̄ue quisquis is est, prodere, & manifestare.

Duodecima. *Apertè omnia dicere, & agere,* (intra tamē prudentiæ modestiæq̄ue limites, & cancellos) amat enim orationis libertatem, suam quisquis amarit; & quod intra præcellæ mentis adita, intimosq̄; consiliorum recessus rectè conceperit; liberè parit, & in lucem, apertumq̄ue qua voce, qua actione effundit.

Decima tertia. *Vti dissimulatione in vulgus,* cuius scilicet laudes, calculumq̄ue nec amat, nec querit: vix enim in magnis subsellijs probatur, quod vulgus probarit.

Decima quarta. *Non posse alterius*

ruius

terius nutu viuere, nisi amici: seruilis enim est animi alterius nutum obseruare, & ex eo viuere, suaque omnia regere, ac moderari; nisi fortè is sit amicus in paucis; qualis etiam Religioso est superior; qui non tam officio, quàm amore præfidet, non tantum distat dignitate, quantum accedit caritate.

Decima quinta. Non facile admirari, quia nihil ei magnum est, inquit Philosophus, quî enim in humanis rebus magnum aliquid æstimet, qui eas omnes infra se iam posuerit, & quasi ad pedes abiecerit?

Decima sexta. Non meminisse iniuriarum; Viri enim magnanimi non est memorem esse præsertim iniuriarum, & malorum: sed ea potius pro nihilo putare, inquit Aristoteles;

stoteles;

stoteles; Ex quo ad mores conficio viles esse animas, quæ priuatas iniurias persequuntur; qui enim viles non sint, quorum status, & dignitas vno verbulo concutitur, & labefactatur; nec nisi eo vindicato stare potest, aut reparari? secus omnino apud generosos se res habet: statum illi suum, ac dignitatē, extra fortunę aleam, extra teli iactum repositā ducunt, nec se à quoquam, nisi à se ipsis lædi posse putant.

Decima septima. *Non cupidè loqui de hominibus; quia neque ut laudetur sollicitus est, nec ut alij vituperentur, nec aliorum laudator est, nec maledicus, ne in inimicos quidem, nisi acceptā contumeliā; tum enim eam modestè diluere, etiam magni est animi; maioris pati, & contemnere. Leo, quippe, ad latratu*

tus

*tus canum vix respicit, nedum iu-
bas excutit, & commouet.*

Decima octaua. *In rebus quæ
necessario perferenda, vel quæ exi-
guæ sunt, non esse queribundum, aut
supplicem, quia est animi nimium re-
bus humanis addicti.*

Decima nona. *Malle possidere
res honestas, quam fructuosas; hoc e-
nim magis proprium est hominis se-
ipso contenti, & qui suâ virtute, ceu
veste se inuoluit, nō ascititijs pha-
leris obtegit.*

Vigesima. *Habere motum tar-
dum, vocem grauem, orationem sta-
bilem, ac sedatam: quia festinare
nō solet; qui paucis rebus studet, nec
vehementer contendere, cui nihil
magnum esse videtur.*

Et ea sunt Philosophiæ pronun-
tiata, quæ posteris inscripsit Ari-
stoteles,

B

stoteles,

18 DE FORTITVDINE
stoteles, ex naturæ genio, Lycæi
placitis, & rationis præscripto, à
quibus descendo ad actus fortitu-
dinis, qui alij sunt, atque alij: vt alia
atque alia est certantium palæstra.

LIBER PRIMVS.

*De Actibus Fortitudinis, qui in
sustinendo positi sunt.*


IN duobus potissimùm sese exe-
rit, atque explicat virtus fortitu-
dinis: in agendo, & patiendo: in
vtrouis magis, adhuc est sub Iudi-
ce, lis enim illa validis hinc & inde
nititur rationũ firmamentis: nec in
alterutram partem facilè inclinat
victoria: sed hæret; dubio quasi, &
ancipiti marte: in quo si quid pos-
set meus calculus: propenderem,
vt patienti potius palma cederet,
quam

quam agenti: sed quia hæc disceptatio non est mei fori, neque admodum cōducit ad mores: eâ prætermisâ: descendam ad actus fortitudinis, qui in sustinendo consistunt: ij præsidio sunt, & solatio, aduersus omnia graua, & honesta, siue pericula ea sint, siue mala quæ in vitam incurrunt, atq; inuolant: cuiusmodi sunt morbi, vincula, exilium, mors, fortunarū euerisiones, amicorū casus, & eorum (quos nobis natura, sanguisq; iunxit) ruinæ, & fata: aliæque his affines in rebus humanis vicissitudines, atq; lapsus, quos pati, ac tolerare virilis est, & infracti animi, atque à Christianâ fortitudine probè cōmuniti.

Is olim fuit D. Chrysoströmus, qui hæc candidè, & verè de seipso.

Quidquid terroris habet mundus

contemno : quidquid delectabile habet, rideo : diuitias non cupio, paupertatem non horreo, mortem non timeo, vt neque hanc, neque morbos illius prodromos, neque cætera mala plus æquo reformides, de singulis mihi suus erit disceptandi locus.



CAPVT I.

De morbi molestiis equanimiter tolerandis.

INter cætera, quæ nos pulsant, & affligunt, mala, quædam domi sunt, & nobis quodammodo congenita, quædam deforis adueniunt, & in nos incurfant, vel hominum maleuolentiâ, vel quandoq; amabili Dei prouidentiâ, quæ mortales in hac vitâ vt pilas habet.

Primi

Primi generis sunt morbi, & corporis ægrotudines, morsque ipsa.

Secundi illatæ extrinsecus iniuriæ, quæ vel famam, vel fortunas, vel corpus ipsum impetunt: aduersus hæc omnia nobis paratur bellum, & palma si vincimus: non tamen sine labore, sudore, sanguine: vt enim aureè Chrysoſtomus.

O Christiane, delicatus es miles, si putas sine pugna te posse vincere, sine certamine triumphare. Fortiter dimica, atrociter in prælio concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce. Pactum quod spondisti, conditionem ad quam accessisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto quos miraris, omnes pugnaverunt; hac conditione vniuersi vicerunt; hac militia triumpharunt.

§. I.

*Quid sit morbus? & quæ illius
causæ?*

Gnostici morbos aiebant esse
dæmones, & proinde incan-
tationes, seu carmen quoddam ex-
cogitauerāt ad eos ex humanis cor-
poribus eijciendos.

Insanus hic error est, & hæreti-
corum commentum à fide, à natu-
ra, à medicorum placitis prorsus a-
lienum: docent illi morbum aliud
nihil esse quam prauam aliquam
corporis affectionē; quæ fere cum
ipsa vita trahitur. Vt enim D. Au-
gustinus: *Quis non egrotat in hac
vita? quis non longum languorem
trahit? nasci in hoc corpore morta-
li, incipere egrotare est. Sic ab ipsa
natiuitate insita quædā corpori no-
stro*

stro labes, & inualetudinis scaturigo, à qua tot effunduntur morborum examina, vt in vno oculo centum & duodecim contrarias affectiones Galenus notarit, & Plinius non dubitauerit asserere morborum trecenta esse genera in humana vita, hoc est, vt interpretantur alij, prope innumerabilia, quorum omnium origines hic paucis inquiremus.

In In-
tro-
d.
Lib. 26.

c. 1.

Vt malo cuiquam medelam facias, aut si minus possis, æquo saltem constantique animo feras, interest quàm plurimum illius causas iam ante peruidisse. Ea ratio mihi suadet vt primùm aperiã morbi fontes, tum ad remedia delabar.

Suarez à calamo, doctisquẽ ingenij monumentis orbi notus; morbos omnes ex vnâ aliquã harum

causarum oriri docuit : vel ex parentum vitio , prauâque complexionem , quæ etiam in foetum emanat. Vel ex quadam intemperie, & humorum inter se dissidentiũ pugnâ : vel ex aëris iniurijs , cœlique inclementioris influentiâ : vel denique ex ipso peccato, quod prima radix malorum omnium.

Prima illa, & innoxia hominis ætas , morbum ne de nomine quidem nouerat; nesciebat quid febris, quid calculus , quid podagra , aut chiragra , quid aqua intercus esset: multoque minus quid à febre algerere , aut ardere ; quid calculo ceu equuleo torqueri ; quid aqua intercute distendi , quid à podagrâ , & chiragrâ lentam alluuiem, duramque tyrannidem pati. Hęc inquam non viderat prima orbis ætas, nec
 sense-

senserat Adam in suo illo innocen-
 tiæ statu, qui utinam & posteris &
 illi fuisset diuturnus; sed irrita ca-
 dunt vota, nec nobis erit, qui prius
 à peccato ad hæc mala damnati,
 quàm nati, nec illi etiam fuit. Si e-
 nim S. Ephrem credimus, creatus
 Adam horâ nonâ matutinâ: & sce-
 leris reus sub tertiam pomeridia-
 nam, adeoque etiam morbis ob-
 noxius. Vel si mauis age, dic cum
 Tostato conditum die Veneris sub *In Gene-*
 Solis ortum, Sabbato peccasse sub *sim.*
 occasum. Vel si arridet magis cum
 Pererio, Torniello, Saliano, iudica
 & pronuntia in Paradiso, sedeque
 voluptatis dies vidisse octo, nō am-
 plius: Certè ut ut sentias, & loqua-
 ris, ad propositum meum parum
 interest: manebit ea lis sub Iudice,
 & veritas in occulto; at hoc in a-
 perto

perto erit: statim atque peccauit sui
sceleris pœnam sensisse, & in cor-
pus quasi in hospitiũ morbos om-
nes admisisse, eorumque vitium in
postero transmisisse, non trãsmis-
surus vnquam si scelus abfuisset.

Erat enim constans, & intemerata
valetudo, datum à superis veluti
innocentiæ priuilegium: pro cuius

Lib. 2.

c. 17.

l. 8. c.

71.

fide etiam appello illud quod Ruf-
finus in vitis Patrum, Palladius, a-
lijque de Abbate Isidoro, eiusque
monachis prodiderunt.

Erat magnus ille Præsul, erant
& Monachi, parentis optimi emu-
latores filij, eã vitæ, morumque in-
nocentiã, cui aliquid supra vulgus,
statamque naturæ legem concedi
potuit; & vero re etiam ipsã con-
cessum est. Fuit autem illud eiuſ-
modi, vt nunquam ægrotarent: sed

vitam

vitam ducerent etiam in seros annos nullis vnquam morbi contagijs vitiata: cui priuilegio additum & alterum; vt cum immineret vltima dies, & sanctioris æui meta, ea pateret illico, & diuinâ reuelatione nosceretur. Tum Religiosi viri impendentis fati memores, quàm optimè dispēsare reliqua perituræ vitæ momenta, atque ad beatam æternitatem facilem aditum parare; nec tam abripi violentâ morte, quam suauis sopore terris subduci, & cœlo reddi.

Et hæc paucis à me dicta sunt, vt euincerem illud, ab animi noxâ, in ipsum quoque corpus morbi vitium trahi. Vt non immerito pronuntiarit olim Democritus, si corpus animum in ius vocaret, haudquaquam futurum vt ille muneris
male

male administrati crimen effugeret; cum enim in corpore, velut in præsidio, collocatus sit, hostem, id est peccatum omni conatu, vique arcere debuit: & tamen (ô malum) illud ipsum patentibus atque explicatis valuis admisit, malus omnino sui corporis custos, ac præses; & hinc laxatur infesta morborum agmina, quæ vbi illud inuaserunt, etiam sceleratæ menti pro pœnâ sunt: non ita tamẽ, quin aliquando & sæpius pro medicinâ: ita scilicet disponente suavi Numinis prouidentiâ. Ut postea fusius explicabitur.

§. 2.

§. 2.

*Quæ in morbo afflictioni esse soleant?
Quæ etiam præsidio?*

DIuus Chrysoſtomus facundâ mente, & ore, vt ſolet, aureo, patientiam, quæ in morbiaculeis, ac doloribus exhibetur, in ſummis reponit: ſic enim epistolâ quartâ ad Olympiadem.

Nihil eſt, inquit, Olympias, quod ad laudem, & gloriam adipiſcendam cum patientiâ in doloribus perferendis comparari poſſit. Nam ea virtutum regina, & coronarum apex eſt. Ac ne illud ſine teſtimonio & exẽplo fudiſſe videatur, Iobum (quem adamantinam animam, & turrin patientiæ vocat) in arenam educit, quaſi pugilẽ fortiffimum, & cum omnibus iniurijs luctatorem.

rem. Ac primo quidem cum fortunarum iacturâ, & bonorum clade: deinde cum acerbo suorum facto, quos, vt ait, ex vtroque sexu omnes subitâ & immaturâ ætate, & violentâ morte malus genius ita oppressit, vt in ipso mortis modo, ac ratione extemporaneum tumultum inuenirent. Et tamen *cum tantam in agris, domi in pecudibus, in liberis tempestatem excitatam, fluctusque fluctibus continuo succedentes, & continuos scopulos, & profundam caliginem, & intolerandum naufragium conspiceret, nec mœrore premebatur, nec ea quæ acciderant, pœnè sentiebat. At posteaquã morbo & vulneribus deditus est, tum vero & mortẽ exoptabat, & in luctu, ac lamentis versabatur. Ex quo intelligas licet, quemadmodum hoc omnibus*

bus

bus rebus aduersis grauius fit, ac summum patientiæ genus. Atque hoc ne peruersus quidem dæmon ignorabat. Ac proinde cum omnibus illis rebus tentatis pugilem tranquillum, & à perturbatione immunem perspiceret, ad hoc certamen tanquam omnium maximum se contulit. Cœtera videlicet tolerabilia esse ducens, etiamsi fortunas, etiamsi liberos, etiamsi quicquam aliud amittat. At eam demùm mortiferam esse plagam cum quispiam in corpore dolores excipit.

Vbi porro illos sedatâ mente, infractoque animo excipere visus est Iobus, tum demùm & à cœpto destitit malus hostis, & sese victum orco reddidit, victori terram, cœlumq; reliquit velut illustrem patientiæ scenam, theatrumque fortitudinis;

tudinis ; de quâ dum mihi mouetur quæstio , in eâ paucis excutendum erit, quæ in morbo afflictioni esse soleant, ac deinde quæ præsidio.

Tria, inquit Plinius, in omni morbo grauiasunt. Metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum; adde & officiorum ad quæ nos vel natura finxit, vel ipsa vitæ ratio vocauit. Contra hæc omnia sua viro forti sunt auxilia, & primum quidem aduersus insurgentem mortis

Senec
ep. 10.

etum excutienda vitæ cupido est, scendumque nihil interesse quando uitariis, quod quandoque patendum est. Quàm bene viuas referre, non quam diu, sæpe autem in hoc esse bene: ne diu.

Sopitâ autem, & penitus edomitâ illâ vitæ cupidine, enascetur & ipse mortis contemptus, de quo disertè ille ipse Seneca.

Non tantum morbi, sed totius
 vitæ remedium est contemnere mor-
 tem. Multorum mortē distulit mor-
 bus, & salutis illis fuit videri perire.
 Morieris, non quia egrotas, sed quia Ep. 78.
 vivis. Ista teres & sanatum manet.
 Cum convalueris non mortem, sed
 valetudinem effugies: quod si illam
 effugere non possis, quid adeo te
 ipse torques, atque excrucias. Pro-
 fecto degener est anima quæ sepul-
 ta latet in corpore, & tamen cor-
 pus amat: non secus quàm quæ hu-
 mi serpunt, lustra sua belluæ. Sed
 audio reclamas, & mihi ingeminas
 illud, à morbo huic corpusculo ef-
 se malè.

Sed amabo te, mi lector. *Quid* Epicte-
tus c.
10.
 est habere malè? appropinquare dis-
 solutioni, quâ anima separatur à
 corpore. Sed quid res ista habet pe-
 riculi?

riculi? si nunc non appropinques,
 paulo postea accedendum erit. An te
 mortuo scilicet mundus euertetur?
 Sed ecce iterum obstrepis: magnos
 cruciatus habet morbus: sed hos tole-
 rables interualla faciunt: nam sum-
 mi doloris intensio inuenit finem. Ne-
 mo potest valde dolere, & diu. Hoc
 nempe solati vasti doloris est, quod
 necesse est desinere illum sentire, si mi-
 nis senseris. Vir magnus ac prudens
 animum deducit à corpore, & mul-
 tum cū meliore & diuinâ parte ver-
 satur, cum hac querulâ, & fragili
 quantum necesse est. Leuis dolor est
 si nihil illi opinio adiecerit. Contra si
 exhortari te cœperis, ac dicere nihil
 est, aut certè exiguum est. Duremus,
 iam desinet. Lenem illum dum putas,
 facies. Plerumque enim ad opinio-
 nem dolemus, & tam miser est quis-
 que quàm credit.

Sen. ep.
 78.

Verum demus etiam illud immanem esse doloris sensum: sitamen in eo suus est æger: toto contra illum pugnet animo, vincetur si cesserit, vincet si se contra suum dolorem intenderit. Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne incommodum magis instat cendenti, et auerso. Sed graue est. Quid? nos ad hoc fortes sumus ut leuia portemus? cogita quid honestè, quid fortiter feceris, bonas partes tecum ipse tracta, memoriam in ea quæ maximè miratus es, sparge: tunc tibi fortissimus quisque, et victor doloris occurrat. Ille qui dum varices exsecandas præberet, legere librum perseuerauit. Ille qui non desijt ridere, cum ob hoc ipsum irati tortores omnia instrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur

dolor ratione, qui victus est risu? Vincetur certè, si modo is es, qui esse debes; sed & aliud à morbo malum est, videlicet intermissio voluptatum, & ea malus est nodus, cui quærendus etiam cuneus omnino malus.

Duo sunt genera voluptatum, corpus aliæ, animum aliæ bene afficiunt: neque has, neque illas morbus tollit: vt enim ille ipse Plinius, quo authore hic vtor. *Corporales voluptates morbus inhihet, non tollit. Imo si verum æstimes, incitat. Magis inuat bibere sitientem, gratior est esurienti cibus. Quidquid ex abstinentiâ contingit, gratius excipitur. Illas vero animi voluptates, quæ maiores, certioresque sunt, nemo medicus ægro negat. Has quisquis sequitur, & bene intelligit, omnia sensuum*

suum blandimenta contemnit. Verum non ita forsitan illud, quod ultimo loco posui, tanquã à morbo malum: erat illud intermissio eorum muniorem, ad quæ nos vel natura formavit, vel impulit fortuna, vel nostra voluntas induxit.

Da mihi è multis vnum aliquem in paucis ad studia facilem, ac proum, da eum, cui tota vita litibus teritur; da alium, si voles, qui inter arma, & tubarum clangorem in nutritus vitam fere exegit martio puluere non indecorè fordidam: & huic, & illi importunæ morbi molestiæ, & vis acerba: quid enim, is qui in omni vitâ litteris assedit, an non dånabit infœlix illud otium, quo & à studijs malè feriari iubetur, & in molli anserè desidiosus cubare? quid alius, cui Martem spi-

38 DE FORTITVDINE

rat animus, qui cursu capitur, & pugnâ, qui æstus tolerat, ac soles, nunquid inertes, atque inglorios claudit esse dies illos, quibus non tam sibi, quàm morbo vacat, non tam cum hoste pugnat, quam cum ingenti morborum cateruâ, & modo calculo, modo podagræ & chiragræ litē mouet, & sibi stomachum. Certè & medicos omnes procul esse, & morbos volet, quisquis ab ijs sibi eripi senserit iucundissimam illam animi exercitationem, quæ vel in fago, vel in togâ quæritur. Non volet tamen, si attendat etiam in morbis suas esse animæ delicias, & honestissimas exercitationes; sunt eæ virtutes prope omnes, quibus scholas aperit ipse morbus. Plinium audi etiam de hoc argumento differentem.

Corpus

Corpus tuum valetudo tenet, non
 animum, si animus tibi in usu esse
 solet, suadebis, docebis, disces, que-
 res, recordaberis. Quid porro? nihil
 agere te credis, si temperans æger
 sis? Est, mihi crede, virtuti etiam
 in lectulo locus. Non tantum arma
 & acies dant argumenta alacris a-
 nimi, indomitique terroribus. Et
 in vestimentis vir fortis apparet.
 Habes quod agas, bene luctare cum
 morbo. Si nihil te coegerit, si nihil
 exorauerit; insigne prodis exëplum.
 O quàm magna erat gloria mate-
 ria, si spectaremur ægri; ipse te spe-
 cta, ipse te lauda. Laudabis autem,
 si te ita morbus à consuetis officijs
 abducatur, vt tamen à pulcherrima-
 rum virtutum exercitijs non ab-
 ducatur.

§. 3.

*Qui fructus è morbo corporis, ad
animum emanare soleant?*

SI morbi vim æstimare velis ex
sensu deprauatæ naturæ, pœ-
nam esse dices: si è suauis Dei prou-
dentiâ, ac miseratione, remedium
ac medicinam esse fateberis.

Pf. 21.

*Intelligat homo, inquit Augu-
stinus, medicum esse Deum, & tri-
bulationem, atque etiam morbum,
medicamentum esse ad salutem; non
pœnam ad damnationem. Sub me-
dicamento positus oreris, secaris,
clamas, non audit medicus ad vo-
luntatem, sed audit ad sanitatem.*

*Quod ipsum ore melleo dedu-
cit Ambrosius epistolâ ad Bellicũ
ægrum, in quâ iactat illud scriptu-
ræ, Deique ad Hebræos oraculum.*

Percu-

Percutiam, & sanabo. Percussit, in- Deut. c.
32. v. 39.
quit, infirmitate, & sanauit fide.

Nimirum dum Bellico iaceret ægrum corpus, sese erexit animus, & ad altiora fidei mysteria, solemnemque professionem euexit.

Simile quoddam supremi Numinis à morbo beneficium etiam ipsi agnouere pagani, quos inter Plinius doctè, vt solet, ac facundè.

Nuper, inquit, me cuiusdam amici languor admonuit, optimos nos esse dum infirmi sumus. Quem enim in- L. 7. ep.
26.
firmum aut auaritia, aut libido sollicitat? non amoribus seruit, non appetit honores, & quantulumcumque vt relicturus, satis habet. Tunc Deos, tunc hominem esse se meminit; inuidet nemini; neminem miratur; neminem despicit; ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut
C S alitur.

alitur. Balnea imaginatur, aut fontes, hæc summa curarum, summa votorum, mollem impostum, pinguemque, si contingat euadere, hoc est innoxiam beatamque, destinat vitam. Possum ergo quod pluribus verbis, pluribus etiã voluminibus Philosophi docere conantur, ipse mihi, tibi que breuiter præcipere, ut tales esse sani perseueremus, quales nos futuros profiteamur infirmi.

Nimirum dum ægri sumus, nasci solet magna præteritæ vitæ poenitentia, futuræ præcautio, multa que prouidentia; si morbo bene monenti pareamus, quod olim Sigismundo Imperatori, apertè insinuauit Theodorus Archiepiscopus Colonienfis, cum enim ex eo quaesisset Cæsar, quæ recta esset in cœlum via? subiunxit magnus Præsul.

Si

Si tuam vitam institueris, ut facturū te promifisti, dum calculus aut podagra, aut alius morbus grauior te oppreffit. Nempe tum temporis faniora ineuntur confilia, quia in ægro corpore fanior eft animus, vt enim difertè Saluianus.

Infirmittas carnis vigorem mentis exacuit, vt affectis artubus vires corporum in vires tranfeant animorum. Non turpibus flammis medulla æftuent, non malè sanam mentem latentia incentiua succendant, non vagi fensus per varia oblectamenta lafciiant; fed fola exultet anima, leta corpore affecto, quafi aduerfario subiugato. Etsi enim anima fit hofpes, comesque corporis, ab hoc tamen quafi ab hofte fibi malè metuit, maximè vero cum valens, ac vegetum eft:

L. i. de
Prouid.

tum

tum enim velut equus indomitus
 animum tanquam fessorem excu-
 tit, non excussurus, si aut fame lan-
 guens, & tabidum, aut morbo ia-
 cens atque oppressum esset: tum
 enim animo ceu domino cedit,
 eiusque admittit imperia; nulla
 quandoque aliâ vi, nisi ægritudine
 edomandus, quod eleganti æni-
 gmate doctum poëta voluit. Legi-
 tur illud apud Dyphilum, estque
 de tribus fortissimis, scilicet ferro,
 fabro, & febre: hos inter olim sua-
 lis, & de fortitudine contentio.

Pro ferro faciebat illud, quod &
 durum sit & prope indomitum, &
 quod ipsum cætera frangat, atque
 edomet.

Pro fabro militabat istud, quod
 ipse ferrum cudat, versetque formas
 in omnes, ideoque ferro fortior au-
 dire videatur.

Pro febris vero hæc obiecta ratio, quod fabrum ferri domitorem, edomet ipsa, debilitet, lectulo insternat, penitusque frangat.

Hoc ænigmate poëta lusit, docuitque humanos animos à morbo flecti, vinci que, qui nec occultâ, nec apertâ vi edomari potuerunt. *Infirmitas grauis*, inquit Ecclesia-^{c. 31. v. 2.} sticus, *sobriam facit animam*, quam valetudo prius ebriam fecerat.

Exemplo erit Ezechias, qui valens, Deo ac superis minus gratus; æger omninò gratior. Exceperat illud ab Isaiâ oraculum. *Dispone do-*^{c. 38. v. 6.}
mui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Ad has voces, & immisissam altius iacenti corpusculo morbi luem, excitatus *conuertit faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, & fleuit Ezechias fletu magno.*

gno. Firmo ac valenti pumice fic-
 ciores erant oculi, infirmo humen-
 tes, & velut in lacrymarum stagno
 natantes; prius obduratus ad moni-
 ta, precesque animus, iam cereus, &
 flecti facilis: ante in terram pronus,
 atque abiectus, modo in cœlum,
 ac superos erectus. Quid deinde?
 ægrotantis preces audiit, & lacry-
 mas vidit pacatum Numen, & ad-
 iecit ad vitæ dies annos omnino
 decem supra quinque. Utque certa
 foret diuino promisso fides, hoc ei
 à Domino annexum prodigium.
 In horologio parentis Achaz um-
 bra solis, imo & ipse sol ad decem
 lineas recessit: vt tot filio adderen-
 tur lucis, & solis horæ, quot ante
 parenti detractæ.

Si Rabbini habenda fides, diei,
 quo regi Achaz iusta perfolui de-
 buerunt,

buerunt, quo funus duci, quo sepeliri Rex impius: sol ipse, orbis oculus, occidere festinans, illi, inquam, diei decem omnino horas detraxit, quas deinde ægrotati filio reddidit.

Ecce quis à morbo fructus, quis proventus: non vitæ tantum, & vsuræ huius lucis, sed & virtutis. Ut proinde in ægros plerosque cadat illud, quod in Petri Piscatoris filiam, dictum olim ab optimo parente: *sic expedit ei.*

Iacebat illa graui morbo pressa, cum pater, qui in alios omnes beneficus, in eam durior, atque inclementior, roganti cuius cur filiam à febre non expediret, vel attactu leui, vel si vellet etiam vmbra, respondit. *Sic expedit ei.*

Ita omnino & plurimis etiam expedit, vt vel calculo intrinsecus

torqueantur, vel torreantur feбри,
vel podagræ alluuiem sentiant,
vel alias cuiuspiam morbi mole-
ftias, vt in ægro corpore fanus ha-
bitet animus.

Ita factum olim legimus in vitâ
S. Thomæ Cantuariensis, ad eius
sepulcrum, piosq; cineres sese con-
tulerat æger vnus aliquis, & quæ
magni præfulis miseratio, etiam ex-
cussio morbo pristinam valetudi-
nem impetrarat: cum ecce sibi,
suisque iam reddito suboriri cœpit
scrupulus, num fanitas æquè ac
morbus ad salutem ac beatitatem
esset profutura: (hanc enim maxi-
mè spectabat æger, cui animæ fa-
lus, ac vigor longè potior corpore)
dum ergo pungit, & conscientiam
extimulat ea cogitatio, ad sancti
martyris, ac præfulis sepulcrum
reuer-
ti-

reuertitur, sibi que datum à superis
 medicum orat, atque obtestatur, si
 forte sanitas corporis minus animo
 consentanea, minus proficua beatę
 æternitati foret, eam rursus exueret,
 & morbum, ceu vestem animę
 aptiorem indueret. Vix è corde,
 ceu pietatis, ac religionis officinã
 euaserant pauci gemitus, vix è la-
 bellis aliquot vocolę exciderant,
 preces que; cum in corpus velut in
 diuersorium preproperã festinatio-
 ne desertum morbus redijt, futurus
 diuturnior hospes. Nimirum ægro
 illi data erat sanitas aliquã superum
 indulgentiã, & morbus deinde
 maiore gratiã redditus.

Solent enim beatę illę mentes,
 quibus in oculis Deus, in amoribus
 est beatitas, animo non corpori, æ-
 ternitati non tempori seruire, & il-

D lud

lud concedere, quod in altissimâ illâ, diuinâque mente, ceu speculo, magis profuturum intuentur. Et quia plerumque plus à morbo boni, ac gratiæ accedit, quàm à sanitate, ideo illum hac meliorē ducunt.

Vitæ
P. P. 2.
p. c.
148.

Quod ipsum etiam in hac mortali vitâ sensit, docuitque S. Romitus, magnus eremi cultor, ac solitudinis. Solebat ille quot annis semel morbo tentari, ducebatque illum in bonis, cum nescio quo fato anno vno liber fuit; & primùm mirari, ac stupere, dein etiam grauiter dolere, gemere, queri, quasi à Deo desertus esset, & superum gratiâ vacuus, qui morbo vacuus erat.

Ecce, mi lector, quis magnarum mentium de egritudine sensus, quæ cogitatio, hausta sine dubio, non à corpore, carneaque compage, quæ
semper

semper est querula, quia fluxa, & mortalis; sed ab anima nobiliore hominis parte, quæ stabilis est, atque immortalis.

Ab hac probè doctus ex antiquis Patribus non nemo, discipulum ægrum ita solari solitus. Ne te, fili, morbi tædeat, pudeatque: quin potius Deo moderatori gratus esto: si enim tibi ferreus est animus, à morbo, ceu igne, rubiginem exuet: sin vero aureus, ex eo quoque purior euadet.

§. 4.

Præclara quædam singularis in morbo patientiæ exempla.

IN morbo non solum prodest ad alias cogitationes auertere animum, & à dolore discedere: verùm etiam cogitare, quid honestè, quid

52 DE FORTITVDINE
quid fortiter fecerint alij, quos olim aduersa probauit valetudo; sic enim ad eorum exemplum sese eriget æger, & si minus pares; at saltem suppare animos induet.

Eâ cogitatione vsus olim Seneca, tum ad corporis ægrotudines, tum ad quoduis aliud, seu naturæ, seu fortunæ incommodum depellendum.

Ep. 98. *Dic tibi, inquit, ex istis quæ terribilia videntur, nihil est inuictum; singula vicere iam multi. Ignem Mutius, crucem Regulus, Venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid. Aliquid faciamus, imò & patiamur animosè; sumus inter exempla, quare deficimus? quare desperamus? quidquid fieri potuit, potest.*

Rectè

Rectè sanè, & eleganter: cum enim propè omnia vicerint alij, quidni & nos vincamus aliquid, quidni inter exempla simus; cum etiam inter ea fuerint tenellulę virgines, imbellisq̃ue sexus: nec enim te, mi lector, ad viros ducam, nec ad lobum vnum aliquem, *quem, vt* ait D. Cyprianus, *vulnerum vastitas, & tabescentes, ac defluentes artus, Vermium quoque edax pœna consumpsit.* Nō ei te sistam, alijq̃ue, quos tulere lapsa retro sæcula, sed ad puellulas te vocabo, & in molli, infirmoq̃; sexu, patientiæ miracula.

Lib. de
patientia.

Claram tibi in exemplum proponam: & nomine, & re etiam ipsa longè clarissimam.

Eam omnino malè excepere alij, atque alij morbi, ijque grauissimi, etiã totos viginti octo annos,

quos exegit ipsa summâ patientiæ laude, maximè vero cum ad extrema deducta est vitæ confinia, in quibus agitata quàm acerbissimè dies omnino septemdecim vidit sine cibo, potuque: cumque eam à morbo lanienam æquo, vt alias, fortiq̄ue animo ferendam dixisset frater Reginaldus, qui ei à confessionibus erat, adiecit Sancta Virgo: ex quo me, D. Francisco duce, ac patrono, Dei mei obsequijs totam mâcipavi, nullus morbus grauior accidit, nulla acerbior pœna, nullus patientiæ rigor non suavis.

Sanctę Clarę accedet D. Lydina, exemplar sanctitatis, & patientiæ prodigium: in eam tanquam in scopum incurrere morbi propè omnes facto veluti cuneo, non tamen fregere, sed erexere potius, vt
ægr-

ægritudine, dolore, imò & seipsa
 semper esset superior. Qui eam tri-
 ginta totos annos lecto continen-
 ter affixam, oculis non animo le-
 gisset, aliud vidisset nihil, nisi viuũ,
 ac spirans cadauer, in quo tamen a-
 lacer, vegetus, & fortis spirabat ani-
 mus, & vnicælo, Deo que respira-
 bat, cui enim potius? senserat illa si-
 bi corpus esse pro diuersorio, imò
 si voles, etiam pro carcere, è quo li-
 berior euolaret animus, dissoluto
 iam, & effracto ergastulo corpo-
 ris: & hinc illæ deliciæ, illud gau-
 dium, ille plausus à morbo, ceu af-
 fertore, ac vindice libertatis; ad quã
 accedebat & illud bonum, quod
 ægritudinem sciret esse virtutis pa-
 læstram, & scholam sanctitatis, in
 quã docentur bonæ mentes Chri-
 sto seruatori suo in doloribus, in

56 DE FORTITVDINE

tormētis, in cruce cōsentire: quod
ipsum etiam spectauit aliquando
S. Coletta, quæ à Deo, Iesu suo sum-
mis votis expetijt, vt dolorum eius
aliquando particeps esse videretur.
Votis annuit Saluator optimus, &
exinde famulã suam quinquaginta
annis morbis grauioribus exercuit;
ad stuporem, & miraculum: imò
etiam ad querelas, gemitus, lachry-
masque sororum: quas eliciebat,
vel vnus ipse agræ Virginis aspe-
ctus, quibus illa subridenti similis.
Quorsum, aiebat, hæ lacrymæ, ô
sorores meæ? quod patior vobis
graue, animo certè meo leuissimū,
& vt graue foret corpori: eo tamen
fit leuius, quod in eo sentiam ami-
cam Dei manum, quam excutere,
crudele & impium foret, exoscula-
ri autem suaue, amabile, pium. Hęc
illa

Sur. in
eius vi-
rã.

illa nō verbis tantum, sed re etiam ipsâ; cum occasio tulit, est testata: si enim exigeret Numinis gloria, cultusque etiam afflicto corpusculo non exire, sed efferri domo se patiebatur, & dicenti sibi, periculum adire, ne in viâ moreretur. *Parum est*, inquit illa, *Domine, an foris moriamur, modo in Domino.* In eius manibus tutò excidet anima, si è corpore exciderit.

Et hæc sunt voces, hæc oracula, sanctarum mentium, quæ eas carnis afflictiones non è sensibus, sed ex diuinis rationibus metiuntur.

§. 5.

Opportuna in morbo considerationes.

Dixit olim Neroni Deme-
trius, *mortem tu mihi minita-
ris, natura tibi.* Tua voluntas aut

Epictetus l. 1. c. 1.
apud
Arrian.
c. 25.

D 5

potius

58 DE FORTITVDINE
potius insolens tyrannis & libido
quædam sæuendi, ferrum, & ignes
ostentat, mortemque per atrociam
supplicia sub oculos ponit: at teip-
sum, ô tyrâne, eedem manent, imò
grauiores fati leges, & hæ quidem
non homuncionis alicuius volun-
tate; sed necessitate, sed naturâ: à
quâ discedere vt velis quàm maxi-
mè, non potes.

Quod ille de morte iactauit,
hoc ego de morbis, qui ad illam
ducunt; imponuntur illi, non no-
strâ, non alterius cuiuspiam depra-
uatâ voluntate; sed insita quadam
naturæ necessitate: cum enim cor-
pus hoc mortale conflatum sit è
quatuor humoribus, quorum sem-
per inter se pugna, luctatue, neces-
sum est illud ab his pati, concuti,
torqueri: quod si necessum est, a-
mabo

mabo te, quisquis es æger, cur contra necessitatem depugnare vis, cur effugere, quod effugit nemo: Si natura tibi id imponit oneris, quid eam auerfaris, ac damnas: si ad hoc natus es, vt aliquando infirmus esses, vt ab ægritudine exsuccus, & aridus; quid semper ab ætate, à valetudine viridis, ac vegetus esse vis: Cogita tibi in hac vitâ mortali, idē vsu venire, quod ariftis.

Aristæ quam ob causam nascuntur? nonne vt inarescant? Ideo autem arescunt, vt videlicet demetantur nunquam? at dira imprecatio hæc est aristarum, vt demetantur nunquam. Sic statuendum in hominibus quoque, detestationem esse si quis optet non aliquando æger esse, non aliquando mori: cum simile id sit voto, quo vt non maturescant segetes,

Epicte-
tus l. 2.
c. 6.

tes, nec vt demetantur, quispian
optet. Sicuti ergo si aristis suus es-
set sensus, sua mens, & intelligen-
tia, optarent illæ suo tempore ina-
rescere, ac deinde meti, quia eas ad
hoc natura formauit, cui obsequi
volupte est: ita viro sapienti, &
conditionis suæ probè conscio, nõ
graue, non acerbum, non durum,
& execrabile, sed potius leue, iu-
cundum, & amabile videri debet à
febris æstu, ceu sole inarescere, col-
laq; fato submittere, & mortis fal-
cem equanimiter pati: eo maximè
quod ideo exarescit, ac dissoluitur
corpus, vt aliquando reuifcat in
sæcula, imò & in æternitatem. Hoc
igitur primùm aduerte, & apud te
tacitis cogitationibus expède cum
à morbo lecto affixus es: cogita
deinde & alterum, & vincitum tibi
propone

propone vnum aliquē: is dum carceris sui putrescere paulatim muros videt, & ruinam minari, stat tantisper, exitumque è vinculis expectat, ac libertatem. Idem tibi euenit cum æger es: vides ipse, sentisque tabescere, soluique corporis ergastulum, bene habet: ne geme, ne querere, ne morbum incusa, ne damna, sed exulta, & ad propositā libertatem aspira: imò & hoc quoque apud te meditare. Hanc pellem, hæc ossa, has carnes respectu animæ, nihil aliud esse, quam diei vnus penulam, aut pannos tenues, quos vbi ab ægritudine, à vulnere, aut alio quopiam corpusculi vitio, videris defluxisse: erecta in te stet anima, nec aliud quàm tempus expectet, quo miserrimas has deponat exuias: vtq; has abijciat etiam lubens,

lubens,

lubens, volensque: perpende & illud; hunc mundum quantus est, tibi pro scenâ esse, è qua spectes pompam ludorum huius æui mortalis, recedasque cum ita libitum fuerit ei, qui te in scenam vocauit, atque admisit.

Epicte-
tus.

Egredere igitur, ac discede, ut gratus, ut verecundus. Da locum alijs; alios nasci oportet, quemadmodum & tu fuisti natus, posterisque concedendus est locus: conceditur autem per morbos variosque casus, à quibus è mundi proscenio subducimur, futuri spectatores Dei in totâ quantum protenditur æternitate.

Sed audio, iniicies illud, nimis cito, & præproperè subducimur ægritudinis vitio; & hinc malum, hinc dolor, cui medelam afferet D. Antoninus; qui te in scriptis suis
etiam-

etiamnum spirans sic alloquitur.

Heus tu, cuius fuisti, in hac magnâ
Urbe, quid attinet utrum quinquen-
nio? etenim quod secundum leges, id
omnibus est æquû. Quid ergo graue
si te Urbe emittit Dominus? non id
facit iniustus iudex, sed potius natu-
ra, quæ te introduxit, perindè, ac si
Prætor, histrionem emittat è thea-
tro, in quod eum introduxerit.

Lib. 12.
n. 19.

Quod si is dicat se non quinque,
sed tres modo actus recitasse, rectè
dicet: at in viâ tres actus fabulam
implent: Et si non implerent ab ur-
gentis morbi importunitate, quid
interest, si is te euocat, qui fabulæ
author est, ac moderator.

Discede igitur æquo animo, nam
is qui te dimittit Deus, propitius
tibi est, & in eo quod te dimittit,
spectandum imprimis illud, te-
cum

cum agi vt cum fructibus solet, ex
ijs qui præcoces sunt, nisi citò excu-
tiantur, computrescunt, neque ijs
iniuria fit si decutiantur, imò fieret,
nisi decuterentur. *Oliua maturita-
tem consecuta, si decidat, arborem,
quæ ipsam tulit, ac genuit, collaudat,
& gratias agit.* Et tu pariter lauda,
& grates age: si enim importuno
morbo, & vt videtur præcoce fato,
abeundum est: scito quod è vitâ
velut arbore deijceris: terræ, ceu
communi matri redderis, ne diu-
tiùs arbori, id est vitæ adhærens, à
vitijs, & voluptatibus compu-
trefcas.

D. An.
ton. l. 4.
n. 39.

CA-

CAPVT II.

De morte.

Dicitur olim Maria Salome, prudens Matrona, à Christo generis nostri Seruatore quæsiuisse. *Quamdiu uigebit mors? Cui Dominus. Quoadusque uos mulieres parietis. Diuinum sanè, sapiensque dictum.*

Clemēs
Alex.
l. 3.
stromat.

Nihil enim tam nascentis proprium est, quam ut intereat; & parentis, atque parientis uteris foetum suum, non ad vitæ usuram magis, quam ad mortis expectationem effundit. Id dum animo spectat Tertullianus, ita de imminentis fati debito christianè philosophatur. *Hoc stipulata est Dei vox, hoc sponndit omne quod nascitur.*

l. de anima c.
50.

E Quod

Quod si sponndit illud, & adeo
 quidem, vt etiam *publicâ totius ge-*
neris humani sententiâ, mors natu-
ra debitum sit, videndum nobis e-
 rit, vt quod necessitati velimus no-
 limus, est concedendum, faciamus
 esse virtutis; vtque faciamus, pauca
 tibi sub oculos ponemus, amice Le-
 ctor, ea æqui, bonique consules, &
 de tuo, si ita videbitur, symbolum
 addes.

§. I.

Mors ineuitabili Natura lege, ac ne-
cessitate imposta: æquo constanti-
que animo excepta actus est fortitu-
dinis.

DE morte variij varia censuere.
 Tertullianus pro innatâ ma-
 gnæ mentis solertiâ, styloque acu-
 tior, mortem esse dixit. *Vltimam*
quæstio-

questionum omnium. Digna sanè tanto viro sententia.

Existimauit nimirum vitã hanc mortalem scholam esse, in quã multũ exerceantur, imo torqueantur hominum ingenia, in quã alia atque alia proponi soleant, atque agitari quæstiones; quas inter, omnium vltima, & difficillima est de morte, cuius nodum soluere ne vnus è toto genere nostro potest, nempe plusquam herculeus est ille nodus, arctissimum, atque indissolubile vinculum, quod qui dissipat, næ ille orbis erit dominus, atque vniuersi.

Midam ferunt curru nodis quibusdam inexplicabilibus connexo vectari solitum, de hoc in templo reposito proditus erat apud Phrygas rumor, vt qui vinculum illius

soluisset, eum Asiæ imperaturum; explicuit Alexander, & totius Asiæ imperium tenuit. At mortis nodum dissoluere, atque explicare non potuit, ideoque ipse & Asiæ, & orbi, & fato cessit: & vero cedent omnes quos aut terra feret, aut sol aspiciet: quia *mors quæstionum omnium ultima est, & difficilissima*. Imo si Philosophos, ipsumque audiamus Aristotelem, *omnium terribilium terribilissimum est mors*: diceres ex eorum sensu omnia seu fortunæ tela, seu vitæ vulnera, inania quædam esse puerorum terriculamenta; præ terrore, horroreque designatæ à naturâ mortis, extremæque necessitatis.

Verum ut ea sit, & habeatur mors, pusillo, fractoque homini; at non ita viro forti, & magnanimo:

*Etich. 3.
c. 6.*

mo: alit ille intimisq̄ue penetrabilibus claudit ingens animæ præsidium, scutum inexpugnabile, & aduersus fati tela, duræq̄ue necessitatis incurfus clypeum adamantinum, & impenetrabilem: virtutem inquam fortitudinis, quæ vt cœtera mala excipiat, ac toleret: ita & inuisam mortis faciem, equo placidoq̄ue vultu aspicere doceat, atque contemnere: imo etiam, quod ames ac mireris, appetere, atque impensius ambire. Nimirum animo forti, verèq̄ue Christiano, vita peregrinatio, mors ad patriam via; vita somnus, mors vigilia; vita carcer, mors facilis ad libertatem aditus; vita morbus, & insania, mors medicus, vita mare, mors portus.

Bonos inter & malos hoc inter-

E 3 est,

vita pe-
regrina-
tio.

est, quod his terra patria videatur,
& sit, illis autem mundus exilium,
& cælum patria. Testes erant ge-
mini fratres, quos fouerunt primæ
nascentis mundi cunæ: Cain, &
Abel, de quibus illud Augustini.
Abel primus mundi peregrinus,
sed cæli ciuis; Cain primus mundi
ciuis, & exul cæli; ideoque hic vitæ
tenax, & mortis fugiens; ille vitæ
ferè prodigus, & mortis amans:
hoc scilicet à bono parente Adamo
hauserat, & probè retinebat: vitam
esse peregrinationē, quā per ineui-
tabilis fati vias ad cælum, ceu pa-
triam tenderemus: quod etiam a-
gnouerunt, & saltè in animo ad-
miserunt Heroës inclyti qui alijs
id ipsum pro documento vitæ be-
ne, fortiterque instituendæ esse vo-
luerunt.

Virorum fortissimus Iacob, vt
 qui cum Deo luctari ausus, & for-
 tis esse etiam aduersus supremum
 Numen; inclinata iam ætate, roga-
 tus à Pharaone? *Quot sunt dies an-
 norum vitæ tuæ?* respondit.

*Dies peregrinationis meæ centū, Gen. 47.
 & triginta annorum sunt, parui, & mali.*

Merito longæuos vitæ dies ap-
 pellat dies peregrinationis, quia vt
 ait Augustinus: *omnis qui ad super-
 nam pertinet ciuitatem, peregrinus
 est mundi; & dum temporali uti-
 tur vitâ in patriâ viuit alienâ:*
 viuit, inquam, dies paruos, id est
 paucos, in vitam enim eâ lege na-
 scimur, vt parum in eâ commora-
 ti protinus exeamus, illudq; Dau-
 dis ad Ethai hic vsurpare liceat. *He-
 ri venisti, & hodie compelleris no-*

biscum egredi. Ita vt inquit D. Nanzianzenus, à tumulto tumultum petimus, id est ab vtero matris, ad sepulcrum, & communis omnium parentis, hoc est terræ gremium tendimus; quia vt pulchrè Seneca:

Quotidie demitur aliqua pars vitæ, & tum quoq; cum crescimus vita decrescit: hunc quē agimus diem cum morte diuidimus: mox vt in vitam ingredimur, statim aliā portā exire incipimus.

Audite hæc Tantalī, qui huius vitæ annos sititis maximè diuturnos: peregrinos vos scitote non incolas, & quidem breuis, & moleste viæ peregrinos.

Hæc certè audit, sentitque vir fortis, ideoque duo declinat mala, eaque grauissima, vitæ vnum, mortis alterum.

Vitæ

Vitæ est illud quod tristi nã-
niã deplorat D. Gregorius dum ait.

Vitam hanc viam esse ad cælum.

*Viatores autem multos viæ amœ-
nitate sic pasci, ut magis eos diu
pergere, quàm citius peruenire de-
lectet.*

Lib. 21.
Moral.
cap. 24.

Mortis autem est istud: horror
quidam, & agonia reluctantis ani-
mulæ, atque indignantis tam cito
exeundũ esse, qui error est, vitium-
que deprauatæ mentis, à quâ lon-
gius abest excelsus animus ipsã
morte superior. Censet enim ille,
sibi que persuadet vitam esse som-
num, mortem autem vigiliam, à
qua redditur luci nunquam peri-
tura, diei qui occasum nesciat, æuo
fœliciori, quod finem non inue-
niet. Et hinc animo sua quies, &
summa in extremâ fati lineâ tran-
quillitas.

Vita
somnia.

Vbi concubiâ, profundaq; nocte oculos clausit, atque oppressit sopor, & velut superinfusa nube obruit, ac fefellit varijs somniorum imaginibus; iucundum est, & volupe orto iam sole somnum excutere, & vigili sensu, ac mente detegere fallaces illos sopitæ mentis typos, spes vanas, ludicra commenta, noctisq; vnius deliria. Sic erit viro forti longè gratissimum à vitæ mortalis somno, ac letargo, restitui vigiliæ longissimæ æternitatis, & hoc quidem mortis beneficio, sine quo immortalis animus corpori, ceu molli plumæ instratus iaceret, atq; insepultus, somnoque grauiore oppressus.

Vita
carcer.

Vita est carcer, & quidē arctissimus, atque molestissimus: talis audivit D. Gregorio Nysseno viro in paucis

paucis magnanimo; oratione quã de dormientibus inscripsit.

Quis, nisi stultus sit & mentis inops non credet eos miseros esse, & aduersæ fortis mancipia, qui carcere clausi tenentur: fœlices autem, & albæ gallinæ filios, qui eo liberantur, atque emittuntur, illos risu, hos lacrymis, si quis prosequatur, nã ridendus ipse, atque à sapientibus explodendus.

Ratio est in promptu, carcere quippe detenti suas misérias incolunt; eo liberi, è suis calamitatibus euolant.

Non aliter qui viuunt; suum ipsi secum trahunt ergastulũ, suo carcere includuntur; qui obeunt, eo eximuntur, & cum molestâ, graui- que coporis sarcinâ, carcerem suum exuunt; ideoque hoc vno fœlices, ac fortunati.

Vita
morbus.

Vita morbus est, imò, morborum omnium colluuius: quæ & corpus, & animum obsident, obruunt, perdunt: *mors ultimus morborum medicus*, ita enim eam appellauit Sophocles; qui censuit multis malis, & morbi molestijs à morte finem imponi, quibus nec Galeni, nec Hippocratis schola modum afferre potuit: quis autem nō gaudeat, si è corpore velut morborū diuersorio euocetur animus, vt longum, vt æternum sanus sit?

Vita
mare.

Vita procellosum est mare, mors fida statio. Quis inter aduersos, & tumultuantes vitæ fluctus non perhorrescat? quis in ipsius mortis litore, portuq; constitutus non gaudeat, sibiq; gratuletur? quod decumanos illos fluctus, vitæque syrtes, ac scopulos, tot naufragijs infames

mes

mes superarit; aliorum certè, casus,
& pericula securus ille spectabit, &
ex æternitate velut speculâ despi-
ciet, gaudebitque à morte tantum
sibi obuénisse securitatis.

Hæc aliaque meditatur elatus
animus, sibi que in extremâ illâ lu-
ctâ ab ijs præsidium facit, turrimq;
fortissimam, è quâ mille clypei
pendeant, & omnis armatura for-
tium: quidni armaturâ appellem
eas cogitationes, quæ hominem
muniunt, atque obuallant, ne aut
timori, aut formidini, aut mortis
iaculis, aliquo modo penetrabilis,
& peruius esse videatur.

Certè D. Cyprianus & ipse He-
ros inclytus, inde sibi, alijsque ani-
mos fecit, & solatium addidit, la-
crymasq; pusillis mentibus deter-
sit. *Nō sunt, inquit, lugendi fra-
tres*

Serm.
5. de
morta-
litate

*tres nostri de sæculo liberati; cum
sciamus non eos amitti, sed præmit-
ti; ut proficiscentes, & nauigantes
desiderari eos debere, non plangi.*

Proficiscentes ait, & nauigantes,
hac mortali vitâ, ceu labili nauigio
vecti in portum æternitatis,

Eâdem cogitatione vsus olim
Seneca; eodem planè remedio ad-
uersus querulos, & à morte plus æ-
quo sibi metuentes.

Ep.
100.

Iniquum est, inquit, queri de
eo: vni accidit, & omnibus restat.
Eo igitur æquiore animo esse de-
bemus, quod quos amisimus, se-
quimur.

Respice celeritatem rapidissimi
temporis, cogita breuitatem spatij
huius, per quod citatissimi curri-
mus. Obserua comitatum generis
humani eodem tendentis, mini-
mis

mis interuallis distinctum, etiam ubi maxima videntur. Quid autem dementius, quàm cum idem tibi metiendum sit, flere eum qui antecessit? quisquis autem queritur aliquem mortuum esse, queritur hominem fuisse, omnes eadem conditio deuinxit; cui nasci contingit, mori restat, interuallis distinguimur, exitu æquamur hoc, quod inter primum diem, & vltimum iacet, varium est.

Hæc ubi de communi lege, fatalique necessitate pronunciauit Seneca: tum illud ad extremum conficit. *In procinctu ergo animus stet, & id quod necesse est, nunquam timeat, quod vero incertum est, semper expectet.* Ut autem expectet, & volens etiam, ac lubens reddat; ostendit auræ huius, ac vitæ vsum à
 Deo

Deo, naturæ parente, atque autho-
 re cōcessum, sine cuiusquam iniuriâ
 repetendum. Eorum, inquit, quæ
 hic habemus vsus fructus noster
 est, cuius tempora illi, arbiter mu-
 neris sui temperat, nos oportet ea
 sine querelâ reddere creditori. Pes-
 simi debitoris est creditori facere
 conuitium: sæpe admonendus est
 animus, vt tanquam recessura, imo
 vt recedentia amet, quæ à Deo hic
 nobis data sunt. His affinia repetit,
 & inculcat libro de remedijs for-
 tunæ.

Morieris, inquires mihi, ita ho-
 minis natura est, non pœna, mo-
 rieris. Hac conditione intraui vt
 exirem, morieris, gentium ius est,
 reddere quod acceperis mutuatu.
 Morieris, peregrinatio est vita, cum
 multum de ambulaueris, redeun-
 dum

dum est. Morieris, existimabam te aliquid dicere noui, ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies adducunt. Quid habeo quod indigner? stultum est timere quod vitare non possis, istud non effugit qui distulit; morieris, nec primus ego, neque vltimus. Antecesserunt me multi, sequentur omnes. Morieris, hic est humanæ vitæ finis, quo transit orbis, & ego transibo. Morieris, quid graue est, quod semel? morieris, æs alienum, non meum, vitam meâ esse noui. Hoc equidẽ cum eo creditore contraxi; de quo ego queri non possum.

Et hæc quidem cogitationes ad mortis dolorẽ vel temperandum, vel etiam penitus extinguendum, hauriuntur ex ipso nature gremio, fragiliq̃ue, ac luteâ hominũ com-

pagē: aliam viro verè forti, ac Christiano exhibet Tertullianus, nervosa vt solet eloquentiā; ea deditur è cæli legibus, & pactis, è Numinis indulgentiā; quæ sparsos cineres, ossa arida, & exlucca, animas, vitæque aliquando restituet; vnde non exiguum arduis, mentibus affulget præsidium. Cum, inquit, constat de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, si perijisse non credis? cur impatienter feras subductū, interim quem credis reuersurum? profectio est, quam putas mortem, non est lugendus qui antecedit, sed plane desiderandus. Id quoque desiderium patientiā temperandum. Cur enim immoderatè feras abiisse quem mox subsequeris? cæterum impatientia in huiusmodi, &

Lib. de
patien-
tia c. 9.

Et spei nostra malè ominatur, Et fidem præuaricatur. Et Christum lædimus, cum euocatos quosq; ab illo, quasi miserandos non equanimiter accipimus.

§. 2.

Mors in Iuuetute abacriter obita actus est fortitudinis.

D. Antonino teste, ac scriptore S. P. Hist. tit. 7. c. 4. §. 1. re Adrianus Imperator, cum è Philosopho quodam, cui nomen *Secundus*, quæsiuisset, quid esset homo? hoc ab eo responsum accepit.

Homo est mancipium mortis, hospes loci, viator transiens, & aceruus niuis.

Hæc audi, & è sapientiæ lyceo oracula excipe quisquis es homo, & ne vietum, ac detritum Philoso-

phi vnius pallium contemne : sæpe sub vili lacernâ, sordidoque pallio latet sapiēs animus: ex eo audis.

Primùm quod sis mancipium mortis, illius seruituti, duroque imperio iam inde ab vtero, primâque luce addictus, nasceris enim non tam viuere, quàm mori certus: cœtera breuioris æui mala declinare potes, pauperiem, esuriem, sitim, solis æstus, aquilonis imbres, & frigora vel fallere, vel effugere; mortis tela, nec vt velis, potes; adeo illius es mancipium.

Hospes etiam es, cui pro diuersorio orbis ipse, quantus est: ex eo excedendum, & quidē cum mors volet, & statuent fata: nudus exhibis, vt venisti nudus. Viator es, & quidem transiens, quia pedem, id est vitæ cursum sistere, aut certâ statio-

ne figere non potes, vrgent enim,
& instant fata, mors vetat, & pro-
hibet; ideo etiam ex hoc illius es
mancipium.

Aceruus es niuis; & vt illa ad
primos lucis radios, & solis huius
ortum soluitur, & colliquescit to-
ta, elementoque suo redditur: sic
terræ redderis, è terrâ malè com-
pactus, & in cineres ibis, etiam ab
vnius febriculæ tantum æstu, adeo
etiam ex hoc capite, mortis manci-
pium es; quod si esses adulta iam, &
ingrauescente ætate, & in extremo
tantum senio, cum aniles rugæ
frontem arant, atque exasperant,
cum impluunt capiti niues, cum
curua in terram senectus ad com-
munem matrem se ipsam inclina-
re videtur; tolerandum illud foret:
at aliæ mortis leges, & inexorabilis

fati necessitas, quæ non tantum fortitur insignes, & imos; sed etiam præcipiti manu, atq; immiti falce, primùm enascentes flosculos demetit, solo insternit, conterit, fœdat, calcat.

De arbore, à cuius fructu peccavit Adam, sua inter antiquos pugna, & opinionum dissensio.

C. 19.
de para-
diso.

Moses Barcepha vitem fuisse credit, ex suo genio magis, quàm ex veritate. Pomum alij, & melius.

Nonnulli (vt Theodoretus, & Procopius) ficum fuisse autumant: quod statim ab esu vetiti fructus, vbi se nudum aspexit Adam, erubescere cœpit, & pudore suffundi, vtque pudorem tegeret, nudaque velaret membra, folia ficus in vestem aptauit, atq; composuit; quæ
opinio

opinio si vero proxima est; ficus
 prima testis fuit humanæ miseriæ,
 nudumq; ac mortale corpus, quod
 ipsa fecerat, contexit. Et hæc forte
 ratio cur apud authores ficus fune-
 sta, ac funerea fuerit. Horatius ap- ^{Ode.}
 pellat, *pullam ficum*; & apud Ro- _{16.}
 manos, Designatores, quorum erat
 funerum ritus, lugubresq; signare
 modos, inuitabantur signo ficus,
 arboris funereæ, quod ficus mortis,
 ac funeris symbolum esset.

Ex eodem fonte, rituq; vene-
 randæ Antiquitatis, manauit illud
 emblemata excusum in monetis Im-
 peratorum Romanorum: uideban-
 tur duo sepulchra, vnum decrepiti
 senis, alterum comptuli adolescen-
 tis: in medio assurgebat ficus, &
 tam hoc, quàm illud fatali tegebat
 umbrâ, quod scilicet, & senum, &

88 DE FORTITVDINE
iuuenum mors fatumque ineuita-
bile à ficu defluxisset. Ita

Horat. *Mista senum, ac iuuenum densa-
tur funera, nullum*

Sæua caput Proserpina fugit.

Sæua, inquam, sed tum præci-
puè, cum ætatem fato iunmatu-
ram, & veluti præcoces adolescen-
tiæ fructus, aut cœca manu legit,
aut nimium præcipiti falce metit.
Hoc enim vt inopinatum, ita du-
rum quàm maximè accidere solet.
Illud quippe à natura cuique com-
paratum est, vt amet, ac velit dies
antiquos, serosque soles, ac lunas,
nec hoc orbe excedat, nisi plenus
dierum.

Isaie.
38.

Testis erit Rex Ezechias, cuius
hoc votum, hæ preces, & mixtæ
lacrymis querelæ: *Ego dixi: in di-
midio dierum meorum vadam ad
portas inferi.*

Prophetæ oraculo audierat sibi
 è viuis abeundum, & quidem *in di-*
midio dierum, & hinc regiæ lacry-
 mæ, profundique gemitus; adeo
 difficile, & arduum est, etiam in
 mediâ ætate mori, quanto diffici-
 llus in primâ? & inde opus animi
 robore, insignique fortitudine,
 quam vtassequaris, Beneuole Le-
 ctor, nonnulla subijciam, quæ fa-
 titelum si non excutiant, & fran-
 gant: at certè retundant quàm plu-
 rimùm.

Hoc in genere primum occur-
 rit illud Menandri. *Dilectus Diis in*
iuuentute moritur. Illud nempe si-
 bi persuasit Antiquitas, eos omnes
 qui superis curæ essent, & amori,
 citius è terris educi, cæloque dona-
 ri; tum ne diutius obijcerentur ijs
 malis, quibus hæc mortalis aura

iactatur; tum vt quàm ocysfimè
beatitatem illam, ad quam à natu-
râ formati essent, assequerentur.

Lib. de
remed.
fort.

Vnum iam ante peruidit, & at-
tigit Seneca. Vbi enim varia à mor-
te sibi obiicit, adijcit & illud. *Iu-
uenis, inquires, morieris? fortasse ali-
cui malo subducar: quod si nulli alijs,
certè vel senectuti: Iuuenis morie-
ris? non refert, quot annos habeam,
sed quot acceperim: si plus viuere
non possim, hæc est senectus mea. Ma-
ximum solatium est cogitare id sibi
accidisse, quot ante se passi sint, om-
nesq; passuri; & ideo mihi videtur
rerum natura, quod grauissimum
fecit, commune fecisse, vt acerbita-
tem facti consolaretur equalitas.*
Hoc Senecæ, hoc Philosopho so-
latium est, quod à morte, quæ iuue-
ni obtingit, subducatur alicui ma-
lo,

lo, quod fera inuexisset ætas, tristis-
 que senectus intulisset: quod ipsum
 dicit Sapiens factum amabili Nu-
 minis prouidentiâ. *Placens Deo fa-* Sap. 4.
v. 10. 11.
ctus est dilectus, & uiuens inter
peccatores translatus est, raptus est
ne malitia mutaret intellectum e-
ius, aut ne fictio deciperet animam
illius.

Vbi Iuuenem aliquem in pri-
 mulo pubescētis ætatulæ flore suc-
 cidi vides, ac flaccescere; crederes
 aduerso cælo, & inimicis fatis id
 accidere, crederes rapti tempore nō
 suo, casu factum existimares, & cæ-
 co quodam impete deerrantis na-
 turæ: at non sic est: emoritur desti-
 nato superum consilio, certâ, & a-
 micâ Numinis prouidentiâ, cui il-
 lud est curæ, *ne moriatur iustus tē-* Eccl. 7.
pore non suo.

Quem-

Quemadmodum enim Poëta pro arbitrio alios in scenâ diutius detinet, longamque fabulam exhibere permittit, alios ostendit tantum, nec vel vno verbulo auditos reuocat: ita in huius vniuersi theatro, vitæque mortalis fabulâ illum vario munere, & actione Deus in scenâ emittit. *Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra esse sinent.*

Virg. l.
6. Æ-
neid.

Quid facias? acquiescendum est diuinę voluntati, quę rationum instar omnium, quanquã & illi sua causa, etiã pusillo homini accommodata, quã ore, calamoque sapien- tis expressit. *Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.*

Naturæ parens, & author Deus, qui nos vt pilas habet, hoc vitæ ludo cedere cogit, ne malè cedat, ne

in-

infaeliciter iactetur alea, ne periculis, quæ altâ mente præuidet, incauti reſeruemur; ſiue in ijs priuata, ſiue publica vertatur ſalus.

Ita Deus Iofiam Iſraelis amores, ac delicias abſtulit, ne regni excidium videret, & imminentem populo ſeruitutem.

4. Reg.
c. 22.
v. 20.

Ita Auguſtinum, ſerâ licet, canâque ſeneſta mortalibus oris ſubduxit Deus, ne ſponſam ſibi longè cariffimâ, id eſt Hipponenſem Eccleſiam, à Wandaliſ obſeſſam, ab iſdem captam, ſpoliatâ, violatam intueri cogereſur.

Ita Alphoſus cognomento Catholicus Galleciæ Rex, nutantis Eccleſiæ columen & Saracenoꝝ glorioſus domitor, terris viuere deſijt, & cœlo cœpit, ne auerſam fortunæ faciẽm aſpiceret. In eius obi-

tu

Baron.
anno
Christ.
757.

tu his vocibus totus æther resonasse dicitur. *Ecce quomodo tollitur iustus à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius.*

Et hæc prima ratio, publica calamitas, in quam veniret iustus; si vita iret in seros annos, grauemque senectam.

Altera priuatum attendit bonum, & cuiusque salutem, quæ Deo est in primis curis: Ex æternitate velut altissimâ quadã speculâ despicit, nõ tantum rerum humanarum motus, ac vicissitudines, à quibus.

Irus & est hodie, qui modo Cræsus erat.

Verum etiam humanæ mentis inconstantiam, à cuius vitio, labæque cras impius, & superis inuisus erit, qui hodie iustus audit, & superum

rum

96 DE FORTITVDINE
gnopere sapienti deperit, si mo-
mentaneæ huic vitæ aliquot mo-
méta decerpseris? Certè nihilo mi-
noris æstimat sapiens, qui vitam à
virtutis studio metitur, non ex so-
lis, lunæque cursu.

Est vita circulus quem in arenâ
ducimus, maiorem, an minorem
in eâ scribas, ad spatium eius perti-
net, non ad perfectionem. Maneat
ille diutius, obducatur iste, & in
pulverem solvatur cui impressus
est, circuli naturæ, ac perfectioni
nihil interest. Ita nec vitæ, siue ei
longiorem, siue breuiorem circu-
lum designaris, *etas* quippe *sene-*
ctutis est vita immaculata, nec e-
nim ea dicenda senectus, quæ men-
sibus, annis, & sæculo si voles aduo-
lat: sed illa potius quæ virtute, quæ
rebus bene gestis comparatur. Non
quamdiu

Sap. c.

4. v. 9.

quamdiu, sed quàm bene viuitur,
curandum. Et sanè curant in pri-
mis superi, Deusque; & hinc ple-
rumque vitæ metam contrahunt,
aut diducunt.

Pro hac veritate sponforem ha-
beo Dauidem, à quo & Salomon
haufit melioris sapientiæ placita, i-
ta canit ille de impijs.

*Priusquam intelligerent spinæ Ps. 57.
vestræ rhamnum, sicut viuentes, sic v. 10.
in irâ absorbet eos.*

Verborum hæc inuolucra vi-
dentur, quæ sic euoluit Paraphra-
stes. *Priusquam impij teneri dures-
cant, dum adhuc sunt sicut herba,
tempestate, & turbine destrues eos.*

Vt validus turbo, sæuaque ven-
torum procella in furculos, teneras-
que plantas violentior irruit, quam
in truncos, & annosas quercus, ac
cedros:

G

cedros:

cedros: sic in impios mors amplius
 læuit, & stragem edit miserabilio-
 rem, & quidem dum adhuc ab æ-
 rate molles, teneri, & flecti, frangi-
 que faciles: dum adhuc sunt sicut
 herba, fragili que culmo succres-
 cunt, tum eos valido mortis turbi-
 ne, ac tempestate ferit, sternit, de-
 struit, antequam ab annis, & senio
 malis suis indurescant; & hoc diui-
 næ miserationis beneficium est;
 quæ non patitur eos aurâ diu frui,
 & terris sustineri, qui & cœlis inui-
 si, & mundo onerosi sunt.

Sic impij in primo quasi æui sui
 limine metam aspiciunt, & dam-
 nandâ inuoluuntur æternitate. Iu-
 sti vero in verno quasi flore demer-
 tuntur, ne postmodum malignâ
 vitiorum aurâ afflati emarcescant,
 ac decidant. Ita secum actum esse
 gaudet,

gaudet, amatque sponsa. Flores, inquit, apparuerunt in terrâ, & tempus putationis aduenit. Sunt illi Iuuentutis flosculi, qui dum apparere, atque erumpere gestiunt, subito amputantur; bene habet, quod amicâ, id est diuinâ manu.

§. 3.

Mortem propinquorum tolerare fortiter excelsi est animi.

CHrysoſtomus, os illud aureû, è quo tot emanant oracula, quot verba; Parentum in filios caritatem, & pronam illam in sanguine iunctos propensionem, appellare solebat: *quandam Naturæ tyrannidem*, quam fere vix exuas, vix abijcias, nisi cum vitam ipse deposueris.

Hor. 28. ad pop.

Vis illius tyrannidis, & natiuæ

G 2

serui-

seruitutis potissimum eminet, cum parēti filium, amicum amico subduxeris; quod à morte fieri solet; tum enim vel maximè hominem inuadit, implicat, & captum tenet impotens amor; atque in varias passiones agit, potenti tyrannide, æstuque seu iræ, seu doloris, seu etiã tristitiæ; eę quippe affectiones partito quasi in animam imperio dominantur, eamque habent sub iugo, suâque seruitute; à quâ sese indemnem, ac liberum seruare viri fortis est, & ipsi Nature imperantis.

Puillus animus, quæ credit esse Naturæ iura dissimulare non potest, ait enim, vincit pietas, ius sanguinis compellit, & quasi iniectâ amoris manu captiuum trahit vinculis caritatis: imo quod ipse etiam lugeas, ac damnes, extorquet lacrymas

mas, suspirijs exhaurit penetralia,
 & in miserabiles effundit eiulatus,
 ac muliebria lamenta: quæ nature,
 sanguinisq; tributum appellat eui-
 ratus animus, damnat autem, ac de-
 testatur, quisquis virum esse se sen-
 serit. Is enim æquus rerum huma-
 narû æstimator, ac iudex, à se auelli
 non iniquè patitur, quem sua vo-
 cant, atque auellunt fata.

Is olim fuit Anaxagoras illustris
 in pallio Philosophus, cui cum in
 amicorum coronâ, nunciata fuisset
 mors filij, eaque subita, ac repenti-
 na; nihil commotus adiecit illud
 Lyceo dignum, ac posteris.

Noueram me genuisse mortalem.

Is fuit & Pericles, insignis in to-
 gâ, facundus linguâ, à quâ dum al-
 tius tonat, Olympius dictus: audiit
 ille sibi vno in proelio duos periisse

G 3 filios:

filios: quid inde? non abiit in gemitus, nō effluxit in lacrymas, non vestem mutauit, non pullo indutus est habitu, non cinere aspersus caput; non nudo pede euerit humum: indecora sunt ista, & à forti, disertoq; oratore mirum quantum aliena: hoc affine, & proprium: coronâ insignitus est, candido amictu de more patrio ornatus, ex eodemq; vestigio pulpitu ascēdit, si alias, tum vero maximè facundus orator, qui Atheniensibus ad bellum calcar addidit, & martios spiritus iniecit.

Eiusdem animi fuit Xenophon, & ipse ab oratoriâ arte nominatus; is cum intellexisset filium in acie dimicantem occidisse: addidit illud parente dignum, & oratore. *Malle se habere filium strenuum, quam longeuum.*

Idem in purpurâ, sceptroque
sensit Rex Antigonus; cui cum in
bello gloriosâ morte occubisset
filius, elato animo extulit illud.

*Serius, ô fili, tam gloriosam mor-
tem obiisti.* Hæc è profanis, ipsâq;
Antiquitatis fide excerpere volui,
& verò diu ante excerpfit D. Hie-
ronymus, vt sibi, Heliodoro, alijsq;
solatium afferret in morte Nepo-
tiani; de quo ita ad Heliodorum
scribit.

Nepotianus, meus, tuus, noster, In Epi-
taf. Ne-
potiani.
imò Christi, & quia Christi, idcirco
plus noster, reliquit senes desiderij
sui iaculo vulneratos, & intolera-
bili dolore confectos. Quem hære-
dem putauimus, funus tenemus. Cui
iam meum desudabit ingenium? cui
litterulæ placere gestient? stupet a-
nimus, manus tremit, caligant oculi,
lingua

lingua balbutit. Quidquid dixerit,
quia ille non audit, mutum videtur.
Stylus ipse quasi dissentiens, & cerâ
subtristior vel rubigine, vel situ ob-
ducitur.

Hęc vbi indulsit amori; tum ex
se ipse quærit.

Quid igitur faciam? iungam te-
cum lacrymas? sed Apostolus probi-
bet, Christianorum mortuos, dor-
mientes vocans. Quid igitur: letet,
& gaudeam, quia raptus est ne ma-
litia mentem eius mutaret, quia pla-
cuerat Deo anima illius? sed inui-
to, & repugnanti per genas lacrymæ
fluunt, & inter præcepta virtutum,
resurrectionisq; spem credulam men-
tem desiderij fragit affectus. O mors,
que fratres diuidis; & amore so-
ciatos crudelis, ac dura dissocias.

Vbi hoc orationis telum in mor-
tem

tem intorsit, tum ad se ipse quodammodo redit, à quo doloris impete tantisper abreptus.

Quid agimus, inquit, anima? quo nos vertimus? quid primum assumimus? quid tacemus? excideruntne tibi præcepta Rhetorum? & occupata luctu, oppressa lacrymis, præpedita singultibus dicendi ordinem non tenes. Vbi illud ab infantia studium litterarum, & Anaxagoræ, ac Telamonis semper laudata sententia. Sciebam me genuisse mortalem.

Tum proponit innumera virorum fortium exempla. Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scauolas, Metellos, Scauros, Martios, Crassos, Marcellos, quorum non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit.

Ac ne in istis stylum figere videatur, ait mirum omnino, & insolens fore si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas; si hæc viros fecit, & reddidit, illa non faciat, ac reddat? Igitur, inquit, *ut ad nostra veniamus, non plangam cum Iacob, & Dauid in lege morientes, sed cum Christo in Euangelio recipiam resurgentes. Iudæorum luctus Christianorum gaudium est. Ad vesperum demorabitur fletus; & ad matutinum letitia. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Vnde & Moyses moriens plangitur. Iesus absque funere & lacrymis in monte sepelitur.*

Vt autem ita sepeliatur, quisquis nobis amicus erit, non auctoritate tantum, sed & ratione pugnat Hieronymus. Et primo quidem

dem argumentum ducit à mortis
memoriâ, fatalique necessitate, cui
velis, nolis, est cedendum.

Platonis, inquit, sententia est om-
nem sapientium vitam meditatio-
nem esse mortis. Laudant hoc Phi-
losophi, & in celum usque ferunt.
Quod si hæc illi, debemus & nos
animo præmeditari, quid aliquando
futuri simus, & quod velimus, noli-
mus, longius abesse non potest. Nam
etsi nongentos excederemus annos,
ut ante diluuium vivebat huma-
num genus, & Mathusalem nobis
tempora donarentur: tamen nihil
esset præterita longitudo, quæ esse
desisset. Etenim inter eum qui de-
cem vixit annos, & eum qui mille,
postquam idem vitæ finis aduenerit,
& irrecusabilis mortis necessitas:
transactum omne tantundem est, nisi
quod

quod senex, magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.

Illud solatium est, & leuamen aliquod doloris, si tibi propinquus excedat, necdum maturus æui, annisue grauis: hoc autem quacumque efferatur ætate, seu impubes ea fuerat, seu etiam senilis, atque effœta; quod ille quem sua rapiunt fata, *desiderandus sit tibi quasi absens, non quasi mortuus, ut illum expectare, non amisisse videaris.*

Sed & alius consolandi modus, is D. Hieronymo est quod, *ubiq; luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago, Romanus, inquit, imo & totus, orbis ruit, & tamen cervix nostra erecta non flectitur. Flecteretur sanè si possemus in talè ascendere speculam, è quâ uniuersam terram sub nostris pedibus cereremus.*

Ex eâ tibi ostenderem, inquit idem author, totius orbis ruinas, gētes gentibus, & regnis regna collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad seruitutem trahi, hîc nuptias, ibi planctum, illos nasci, istos mori.

Hæc est rerum omnium vicissitudo, hic orbis occasus, & ruina; ad quam viæ mille, mille ducunt aditus, & in communi illa strage te ipse, tuosq; amicos exitio immunes, ac liberos esse voles? & si forte ex ijs vnum aliquem fors vltima inuoluerit; amissum planges, ac deplorabis? non facies enim vero, non facies, maximè si consideres, vitam ipsam quam ducimus, mortē potius esse dicendam quàm vitam: vt enim iterum vtar mutuatâ D. Hieronymi eloquentiâ. *Sentisne*

tisne

tine, obsecro te, quando infans, quando puer, quādo iuuenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? quotidie morimur, quotidie commutatur, & tamen æternos nos esse credimus? *Hoc ipsum, inquit, quod dicto, quod relego, quod emendo, de vitâ meâ tollitur. Quot puncta notarij, tot meorum damna sunt temporum. Scribimus, atque rescribimus, transeunt maria, epistola, & scindente sulcum carinâ, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur.*

Quod si ineuitabili naturæ lege, ita tu ipse, ita quidquid est hominum commutatur, minuitur, tollitur, amicum aliquem vitam hanc in melius commutasse lugebis? dolebis minutum esse aliquid exigui temporis, & additum esse immen-

immensum aliquod pondus æternitatis? patieris iniquius sublatum esse & mortuum, quem ex christiana lege scis esse resurrecturum? fuit certè, fuit olim mors in luctu, cum scilicet pœna fuit: at modo in gaudijs esse debet, ac delicijs, cum glorię famulatur, ac beatitati, quod aureâ fandi copiâ ad mortalium solatium expressit Chrysologus.

Mors, inquit, quando ab Euâ prouisa est, tunc lamentandi materia fuit; nunc uero facta est virtutis occasio; quia tunc ad pœnam peccantis data est, nunc permissa est resuscitantis ad gloriam: tunc tartarus inuenit hominem, nunc amittit.

Serm.
63. de
Lazaro.

Quod si virtuti, si meliori vitæ, si resurrectioni mors seruit, quid amabo, in morte vides esse deplorandum? certè omnino nihil, si æquus

quus

quus vitæ, ac mortis censor esse
voles.

Sed, inquires, ea sunt amicitie, iura
eę leges amoris; que in amici fune-
re, gemitus, & lacrymas exigunt, atq;
extorquent: fateor ita esse apud eos,
quibus humilior, atque abiectior
est animus: at non sic apud Heroas,
& fortes: ij suorum etiam amicis-
simorum funera siccis oculis, &
obfirmato aduersus dolores animo
aspiciunt.

Testis erit D. Bernardus, quæ
verbo, quæ exemplo; illum audia-
mus, videamusque in funere fratris
sui Gerardi longè carissimi.

Serm.
26. in
Cant.

*Feci, inquit, vim animo, & dis-
simulaui vsque huc, ne affectus qui-
dem vincere videretur. Ploranti-
bus aliis, ego siccis oculis secutus sum
inuisum funus: siccis oculis steti ad
tumu-*

enup

tumulum, quousque cuncta peracta sunt exequiarum solemnia. Indutus Sacerdotalibus solitas in eum orationes proprio ore compleui; terram meis manibus ex more ieci super dilecti corpus, terram mox futurum.

Qui me intuebantur flebant, & mirabantur, quod non flerem ipse, cum non illum quidem, sed me potius, qui illū amisissim, omnes miserarentur.

Hæc ubi de se ipse dixit, & scripsit Bernardus, tum aculeatâ oratione pungit, ac vellicat eos, qui secus faciunt: qui sese immoderato luctu macerant.

Videmus, inquit, mortuos quotidie plangere mortuos suos: fletum multum, & fructum nullum; non culpamus affectum, sed causam. Plorantur damna gloriæ carnis, vite præsentis incommo-

H

da,

da, sed plorandi, qui ita plorant.

Hæc est censura D. Bernardi, à quâ etsi recedere non velim; nolim tamen adeo seuerus esse censor, & iudex, vt excludi posse credam omnem doloris sensum: sed tantum eius immoderantiã culpo, & damno; optoquæ in primis dictum illud, & vsurpatum D. Cyrilli erga charos nostros vita functos: quibus *ex toto nec compati, nec mœrere ferinum est, & durum: horum vero exuberantia muliebre.* Memini Iobum mortaliũ fortissimum auditâ filiorum morte indoluisse: *scidit enim vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.*

*Iob. 2.
v. 20.*

Vestem ex lugentium more, rituq; dum scidit, hominem se probauit, & parentem commendauit: dum autem tonso vertice corruit

in

in terram, Numenque supremum
adoravit, eius seruum sese ostendit;
ad omnes nutus paratum, atque
obsequentem: & tam inter aduer-
sa, quam inter prospera gratum: ita
nimirum ut aureè Chrysostrimus.

Naturæ condolentis sensus o-
stendendus erat; animi quoque phi-
losophia minimè occultanda; eodem
tempore decuit, & naturæ viscera,
& philosophiæ præstantiam indicari.

In cate-
nâ.

Quod Iob viro principi, ac
fortissimo concessum indulgente
naturâ, conniunte Chrysostrimo,
hoc cuique licitum velim: neque
enim ut doctè Origenes: *victoriâ*
quis idcirco potitur, quia non pati-
tur, sed ideo quia cum patitur, ani-
mo perfert inuictò.

In cate-
nâ græ-
câ.

§. 4.

*Mors gratiâ amicorum excepta fortem
animum probat.*

*Cant. 8.
v. 6.*

Magna omnino vis amoris,
quam vt in lucem, aper-
tumque efferret sapiens, cum ipsâ
morte componendam esse duxit.
Fortis est, inquit, vt mors dilectio.

Orbem hunc aspectabilem a-
nimo subiecit sapiens, & oculo in-
telligentiæ obiuit illud omne, quod
cælum tegit, aut celat, & ex ijs in-
uenit omnino nihil, cum quo op-
portunius, veriusque, quam cum
ipsâ morte compararet. Nimirum
mors longè fortissima, robur eius
inexpugnabile, inexorabilis ge-
nius, ineuitabilis necessitas: cui ob-
sistere nullus omnium possit mor-
taliū. *Æqua, scilicet, lege sortitur*

in-

infignes, & imos, & sic leonem, ut agnum iugulat; sic elephantem, ut culicem sternit; sic Crœsum, ut Irum terrâ tegit, atque obruit. Et in his elucet, atque eminent mortis fortitudo; sed multo maior amoris, qui ipsâ morte fortior est, atque superior: quis enim neget morte fortio- rem eum esse, cui mors ipsa cõ- temptui, imò cui in votis, ac deli- cijs. Et ea certè est amanti, qui vi- tam, quâ nihil carius, amori cedit, mortem obit, quâ nihil difficilius, aut horribilius.

Et inde factum autumo, ut adeo in terris rara sit amicitia. Vix omni- bus sæculis, ait Cicero, tria, aut qua- tuor numerantur amicorum paria. Lib. de a nici- tiâ. Plutarchus Theseū, & Pyrithoum recenset: Achillem, & Patroclum; Orestem, & Piladem; Damonem,

H 3 &

118 DE FORTITVDINE
& Pythiam ; Epaminondam , &
Pelopidam. Totidem fere paria ex
Romanâ historiâ adiungi possunt,
vix plura. C. Gracchus cum Pom-
ponio , C. Lælius cum Scipione,
T. Voluminius cum M. Lucullo:
& hi fere tantum nominati : adeo
rara auis in terris amicus verus ; is
nimirum qui amici causâ , bonoq;
nec mori timet , nec amat viuere,
nisi & vita , & mors amico profit.

Celebre par amicorum Pilades,
& Orestes , de quibus illud iacta-
runt antiqui , semel tantum in vitâ
contendisse , nec amplius : eaque
contentio omnis in hoc posita , v-
ter pro altero moreretur. De cæte-
ris nulla vnquam lis fuit , nulla dif-
fensio , aut disceptatio : vna de mor-
te pugna , in qua vicit amor morte
fortior , ac potētior : ad hunc quon-
dam

dam allusit vates, & ingeniosus
Ouidij labor.

*Ire iubet Pilades charum mori-
turus Orestem,*

*Is negat: inq; vicem pugnat v-
terque mori.*

*Extitit hoc unum quod non cōue-
nerat illis,*

2. de
Pont. 3.

*Cætera pars concors, & sine lite
fuit.*

Videtur eadem olim fuisse con-
tentio inter fratres Iosephi, cum ex
illius voto, ac imperio quæsitum
quis ex ijs futurus esset obses, quis
carcere tenendus, quis obijciendus
periculo, ac seruituti, atque etiam si
opus esset, ipsi morti? Cum enim
fraternum animū, amoresq; blan-
dos severo vultu tegens Ioseph, di-
xisset. *Frater vester unus ligetur* Gen. c. 4.
v. 19.
in carcere, vos abite. Hac datâ op-

H 4 tione,

tione, non exspectato fratrum responso, Simeonem ipse suo arbitrio, ac volūtate vinculis designauit, cœteris abire iussis. Cur ita? quia, vt inquit Abulensis, *non videbatur fraterno amori conuenire, vt ipsi de se ipsis determinarent, vnum magis, quàm alium vinculandum: sed magis quilibet eorum se pro aliis offerre deberet.*

Habes inter charos, & fratres pro seruitute nobile amantiũ certamen, accipe pro morte; *Fortis, enim, vt mors dilectio.*

Vt multæ in purpurâ sunt illecebræ, multus honos; ita & frequētes insidiæ, atque immania pericula, quibus obuia patet aula, & regium caput: *feriunt enim altos fulmina montes, non humiles casas.* Ac ne multis in argumento per se no-

to præcludere videar; è regibus vnū
 tibi dabit Anglia, eumque Stepha-
 num nomine. Illi sicarius vnus ali-
 quis stricto ferro occurrerat, & cer-
 tē in pectus immiserat: hiabat a-
 pertum ac patens vulnus, sangui-
 nemque largè fundebat; qui vbi ar-
 te medica sisti cœpit, atque aresce-
 re; ecce tibi grande malum aliud;
 nudati ensis acies pestilenti vene-
 no imbuta toxicum nutriebat; &
 in viscera, carnemque spargebat la-
 tens, ac fatale virus: cui tollendo
 impar Galenus, impar & Hip-
 pocrates, omnisque medicorum
 schola.

Iose-
 phus
 Speran-
 za pun-
 cto
 CXLIII

Quidquid in illâ industriæ, ar-
 tisue fuit, id explicatum omne cu-
 rando vulneri, sed artis molimina,
 vimque omnem eludebat dolor,
 & tacitè visceribus inspiratum ma-

H 5 lum.

lum. Quid igitur? an ferro, an toxico, an fato concedat regis caput? Ingeniosa necessitas, id cuiusdam medico suggestit remedij: si quis vitæ, sanguinisque sui prodigus os vulneri admoueret, apprimeret, & concretam ex eo saniem exfugeret: ille Regi pro medico, pro medicinâ: sibi autem exitio. Hæc splendide depromuntur, hæc iactantur in aula, in proceres eunt, imò & in caualas, ac famulorum greges.

Quid deinde? varius super eâ reseruo, magnaque iudiciorum, atque animorum pugna: sensus alius, atque alius, dum hic presens esse censet remedium, hic eludit, atque explodit: ex omnibus tamen nemo vnus fuit, qui periculum faceret, qui daret illud regi alias perituro, qui suâ morte domini sui vitam æstima-

æstimaret, atque emeret: amare regem omnes, sed se ipsi magis: velle regi benè, sed sibi quàm optimè. Eam nimirum sunt aulicorum ingenia, nata regi seruire, si tamen prius sibi; neque vero id obsequij sibi, suæque sanitati deposcebat Rex pius, nouerat enim ita sibi indulgere, vt tamè subditis parceret, neq; cuiusquam periculo, morteque, discrimen suum, vitamque redimi censebat oportere.

Dum hæc vltro, citroque commentant, & per famulantium ora feruntur: audiit Regina, & tacuit, alitèque sua consilia pressit; prudentis est, quod cito factum voles, tacere, manu enim sæpius opus, non linguâ: quanquam hic, & linguæ, & manus vsus aliquis. Igitur noctis intempestæ silentio, adultis que tenebris,

nebris, regio de cubili se proripiens
 Regina; coniugis longe carissimi
 conclaue subit, lento, & lanceo pe-
 de, furtiuoque gradu, lectulo pro-
 prior facta: à dolore sopitum, &
 quasi sensus expertem maritum de-
 prendit; mollique, ac tenellâ ma-
 nu, admota plagæ vincula contre-
 ctat, sensimque dissoluit, tum libe-
 ro, patientiq; vulneri os admouet,
 labia diducit, linguam exerit, &
 manantem ex eo saniem haurit, at-
 que epotat. Non sic à cursu, æstiuæ
 folis exarescens venator aliquis, ad
 opportunos fontiû ductus, & lenæ
 murmurantis aquæ riuulos aduo-
 lat, largèque bibit, vt sitim extin-
 guat: atque defluentem è tabido
 pectore saniem absumpsit Regina,
 vnàque etiam (quod in eâ ames, ac
 mireris) & ipsam mortem.

Hoc

Hoc inuictæ Heroinæ facinus,
hoc prope scelus amoris, sibi vitam
eripuisse, marito reddidisse: adeo
hic etiam: *Fortis ut mors dilectio.*

§. 5.

*Eadem veritas declaratur heroicâ filij
in parentem pietate.*

Vulgatum illud Philosophi.
Deo, parentibus, ac præce-
ptoribus pares reddere nunquam
possumus.

Deo quidem, cui ut omnia de-
beamus, ita animum quam maxi-
mè, potissimam hominis partem,
& quasi delibatam ex altissimâ illâ,
diuinâque mente portionem.

Parentibus vero, à quibus quod
spiritui affine, & coniunctum est
accipimus, corpus inquam morta-
le, quo immortalis vehitur, & cir-
cumducitur animus.

Denique præceptoribus, à quibus etsi non ducamus *esse*, vt loquuntur Philosophi: at certè haurimus *bene esse*, dum suis illi præceptionibus nos imbuunt, & ad omnem humanitatem erudiunt.

Ex illo seu naturæ, seu rationis debito, fit vt si quando eorum agatur causa, in eâ se totum vel vno gratitudinis nomine impèdere debeat tum parenti filius, tum præptori discipulus: non ita tamen vt solius naturæ censeatur esse molimen illud: sed & virtutis actus, illique aliquando nobilissimus: qualis is esset qui Dei, aut Religionis causa vitam eriperet; cui suppar alius, qui etiam parenti spiritum donaret.

Eo in genere exemplum illustre vidit, stupuitque Hispania. In-
testina

testina diffidia, belliq; motus Castellæ Regem Toletum acciuerat; tum vt tumultus componeret, tum vt inde hostem, qui subitâ inuasionē irruerat, expelleret. Vbi porro foeliciter expulit; ira in ciues versa, è nobilitate nonnulli cæsi, è plebe duo & viginti. In eo numero aurificis filius octodecim annos natus: iuuat illius diei, cædisq; meminisse. Inter eos quos orta seditio crimine inuoluerat, erat Aurifex; vir grandæuus, & octoginta annis maior, ei cū alijs dicta dies vltima, decretumq; capitis supplicium, quod vbi impendere vidit filius, adolescens decem & octo annos natus, qua miseratione, qua pietate in parentem sese Regi illico stitit, & vltro supplicio obtulit. Hic arreçti Aulicorum omnium animi,
&

Molina
de reb.
Hisp.
l. 16.

& futuri euentus expectatione suspensi; pars amare, & mirari grandem in abiectâ fortunâ indolem; pars tantæ caritati veniam etiam vltro dandam arbitrari; pars etiam metuere, ne Regis ira in vindictam præceptis in caput innoxium desereret; Et vero præter expectationem, atque spem desæuijt; nam pro veniâ, quam eximia pietas omnium iudicio meruerat, Rege permutationem cōcedente supplicium subiijt, & ferro caput amisit. Fœdum populo spectaculum, misericordie permixtam crudelitatem. Nomina memoriæ subtracta de facto factis constat.

Hic ego te, tuosque manes appello miserande adolescens: quem ei fato natura seruauit, & vna parentis noxa deuouit: hic inquam,

cx

ex te sciscitari velim, quæ ratio, quæ
 vis æuo longiore natum immatu-
 râ nece præcidit? an in senem op-
 timum, & annis grauem miseratio?
 an in parentem obseruantia, pie-
 tasque? sat scio & hanc, & illam al-
 tè tibi insitam fuisse: verum nec
 hæc, nec illa animos supplicio, fer-
 ro, mortiq; pares fecit; nisi affuisset
 germana pietatis soror fortitudo:
 ea ex intimis penetralibus in pul-
 uerem exciuit; in forum egit; in Iu-
 dices, in Regis oculos, ac sententiã
 impulit, vt quod paterno capiti
 imminebat supplicium in te ipse
 detorqueres, caderesq; ad fortitudi-
 dinis aras, nobilissima amoris, ca-
 ritatis, pietatis victima, quam ama-
 bunt, ac suspicient ætates omnes
 longè consequentes. Vt enim ener-

ues animos odisse virtus solet, ita

Valer.
 Max.
 l. 2.

I

fortes

fortes, atque infractos amare, complecti, posterisque omnibus impensè commendare.

§. 6.

Qui iuuandis pestiferâ lue infectis vltro se deuouet, inter Christianos Heroes numerandus.

Lib. de
Mart.
per pestem.

HOc argumentū, vt alia pleraque, doctè, fusè, piè tractauit Theophilus Raynaudus Societatis nostræ Theologus, vir variæ eruditionis: ego ex illo, alijsque pauca delibabo, vt mihi, cæterisque animos faciam, ad tam illustre, sanctumque Christianæ caritatis officium vltro votis omnibus expetendum; multa sunt quæ illud arduum, ac difficile probât. Primum ipsa morbi vis, ac ratio, tum mortis genus miserabile, acerbum, omni-
que

que solatio vacuum; tum etiam ij,
 quibuscum in isto munere vitam
 exigas, pauperuli, abiecti, sordidi,
 & ad extremam ferè inopiam, ac
 miseriam prostituti; tum denique
 & ipse funeris honos, quiesque se-
 pulchri, in quo ingloriæ iacent ma-
 gnæ mentis exuuiæ, excelsique ci-
 neres.

Ad primum quod attinet, pesti-
 lētis mali vis ex eo cœteris morbo-
 rum molestijs eminent: quod eius
 causa plerumque in occulto sit, &
 altâ nocte: est enim illud medi-
 corum effatum, pestem exitiosam
 quandoque ex cōtagione, quan-
 doque & sæpius ex maligno quo-
 dam cœli afflatu, & siderum con-
 stitutione oriri: altissima nimirum
 est diuinæ prouidentiae, iustitiæ-
 que ratio, quæ superis illis orbibus

Causa
 pestis.

noxias impressiones dedit, quibus eos feriat, qui suâ culpâ Deo, Cœlestibusque inuisi fuerint.

Ex eâ persuasione, quæ apud medicos est recepta, manauit illud v. morbi inopinati, ac latentes dicantur ab ijs *siderationes*, quasi maligni quidam, & exitiales siderum afflatus, quibus remedium ars ipsa non inueniat, vel ex eo solum quod causam ignoret.

Et his obijcitur, quisquis non prece, non pretio, sed solâ Christianæ caritatis lege, ductuque peste laborantibus ministrat, & in ijs, quæ ad animæ forum attinent, notu, diuq; indefesso labore assistit, & non putabis illud esse altioris animi, & eximiæ cuiusdam fortitudinis? Certè si in aduersas acies irrumpere, si obuium dare ferro caput,

put, si pectus opponere, militaris
 est roboris: quidni maioris erit in-
 festo quodammodo, iratoq; cælo,
 ac sideri, sui prodigum, offerre ca-
 put, & aduersam illam astrorum
 lucem pati, grauesq; ac noxias si-
 derum influentias contemnere: Et
 hoc ideo tantum ne vacuus solatio
 frater occidat, ne impos consilij, ne
 sacramentorum præsidijs destitu-
 tus, ex hac vitæ statione discedat.

Et hæc prima ratio, quæ pericu-
 lum auget, & opus illud arduum,
 ac difficile probat; quod mali cau-
 sa, fonsq; pestiferæ luis, non in cor-
 pore, non in humoribus sit (qui a-
 liorum fere morborum sedes sunt,
 aut receptacula) sed in astrorum,
 cæliq; impressionibus, damnan-
 dâque sideris vnius face, quam vt
 velis, declinare non possis.

Esse autem vim illam astrorum, cœlestiumque corporum mortalibus oris incensam ex eo etiam cōficio, quod D. Ioannes in placido mentis excessu vidisse se memorat.

*Apoc.
c. 8.*

Tertius, inquit, Angelus tubæ cecinit, & cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen stelle absinthium. Alcazar vertit nomen stellæ pestis.

Ecce habes Apostolo iudice, testeque noxiam humano generi faculam, stellamque è cœlo in terras elabi, & in miseranda capitâ vim suâ exercere, timendasque impressiones: verû vt eas horreant, fugiantque ceteri, at nec horret, nec fugit is, qui vitam fraternæ caritati deuouerit, Deoque, ac superis, quod reliquum est,

est, cōmittendum esse putauerit: Et illud est Christianæ fortitudinis illustre quoddam argumentum.

Accedit & alterū atrocitas quædam tormētorum, ac cruciatuum, Morbi pestilē-
tis vis. quibuscum pugnant fortiter, vincuntque fœliciter charitatis Martyres; quibus nihilo mitior à morbo, lueque subeunda carnificina, quam fidei Martyribus, ab equuleo, ferro, cruce, flammâque sit expectanda. Mirum enim quàm atrocia symptomata, & quam immanes corporis affectus importet, atque inuehat pestilens ista morbilus; eos illigatâ suis numeris oratione persecutus est Lucretius, & Lib. 6. tragicus Poëta choro primo Oedipi, qui pressum funere funus, longumque ad manes ordinem agminis mœsti, cum descripsisset, æstu

quodam abreptus Poetico exclamat.

O dira noui facies lethi,

Gravior letho ! piger ignauos.

Alligat artus languor, & aegro

Rubor in vultu, maculaq; caput

Sparsere leues. tum vapor ipsam

Corporis arcem flammis torit.

Multoq; genas sanguine tingit.

Oculiq; rigent, & sacer ignis

Pascitur artus, resonant aures,

Stillatq; niger naris adunca

Cruor, & venas rumpit hiantes

Intima creber viscera quassat

Gemitus stridens iamq; amplexu

Frigida presso saxa fatigant

Quos liberior domus elato

Custode finit, petitis fontes,

Aliturq; sitis latice ingesto.

Prostrata iacet turba per aras,

Oratq; mori.

Quidni

Quidni enim oret? certè licet
 mors in se ipsa plurimum habeat
 doloris, atque horroris: minus ta-
 men in se habet poenæ, quàm len-
 ta illa tabes, sæuaque pestis, quæ
 primum insolenti quodam æstu
 sanguinem vitæ sedem, ac fomitem
 occupat, atque incendit, deinde to-
 tum hominem edaci, cruentâque
 flammâ depascitur, tum etiam in
 externas corporis partes elabitur,
 inficitque infami contagio morbi-
 dæ putredinis: ita nihil ab hoc ma-
 lo vacuum atque immune: aut e-
 nim in cerebrum euasit pestilens
 aura, & tum ad aurium collique
 cõfinia delabitur, aut cor vitæ fon-
 tem, atque arcem inuasit, & tum
 sub axillis erumpit, ingenti que tu-
 more malum creat, augetque: aut
 iecur ipsum, officinam & recepta-
 culum

culum sanguinis imbuit, & tum in
 inguine sese iactat pestiferum vi-
 rus, & bubonem effert, atq; osten-
 tat, aut etiam carbunculo vrit; aut
 denique occupato toto corpore,
 vitiatoq; sanguine in maculas de-
 generat, & hominem illico sternit,
 ac pessundat.

Ab hac malorum mole, & col-
 luuie quadã morborum omnium
 factũ autumo, vt pestis ipsã morte
 grauior, ac peior audierit; imò vt
 Hebræis sapientibus, pestis dicta sit
Deber, id est mors, ita enim à non-
 nullis exponitur ille locus Osee,
ero mors tua, ô mors, Hebraicè *de-*
ber, id est, *pestis*, quæ eo mali venit,
 vt dicatur, & sit veluti mors ipsius
 mortis, puta supplicium morte a-
 cerbuis.

c. 13.
 v. 14

Ad illam dolorum immanita-
 tem

tem appellit sæpius & ipsa mentis
 emotio miserabilis, à quâ hic è fe-
 nestrâ, aut tecto præceps ruit, & in-
 fœlici casu ceruices elidit; ille con-
 cito cursu in obuium flumen insi-
 lit, & aquis extinguere febrile in-
 cendium dum molitur, seipse ijs-
 dem præfocat, atque extinguit: iste
 in ignes inuolat, vt flammâ flam-
 mâ, ignē igne temperet, aut tollat.

Mitto cetera quæ mali illius sen-
 sus apertius edocet, quàm aut ani-
 mus concipere, aut vox eloqui, aut
 calamus exprimere possit.

Ex hac qualicumque adumbra-
 tione pessimi status corporum, to-
 tiusque hominis per pestem æsti-
 mari debet fortitudo martyrum
 misericordiæ, ita enim eos appella-
 re placuit, qui caritati, ac misericor-
 diæ vitam deuouent, & in eius aris
 occidunt nobiles victimæ.

Certè hominem vnum aliquem sano corpore, & animo, propter Deum, & proximi commodum vltro, imò alacriter in eā dolorum immanitatem, & mentis emotionem miserabilem mittere sese, eximia cuiusdam, & heroicæ fortitudinis specimen videri debet: cui potiori iure aptari potest illud D. Cypriani ad Christianos, vt ijs animos faceret aduersus infestæ luis horrorem, ac malum.

L. de
Morte
num 24.

Hoc, inquit, quod solutus in fluxum venter euiscerat quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæstuat; quod assiduo vomitu intestina quatiuntur; quod oculi vi sanguinis inardescunt; quod quorundã vel pedes, vel aliquæ membrorum partes contagio morbida putredinis amputantur; quod per

iactu-

iacturas, & damna corporum pro-
rumpente languore, vel debilita-
tur incessus, vel auditus obstruitur,
vel cæcatur aspectus, ad documen-
tum proficit fidei. Vbi hanc à peste
malorum iliadem sub oculos po-
suit; tum illam infracto spiritu per-
peti, quantæ fortitudinis sit, ita o-
stendit. Contra tot impetus vasta-
tionis, & mortis inconcussis animi
virtutibus congrédi, quanta pecto-
ris magnitudo est? & quanta subli-
mitas inter ruinas generis humani
stare erectum, nec cum eis, quibus
spes in Deum nulla est, iacere pro-
stratum?

Sed etiam ex alio capite ducitur
 insigne Christianæ fortitudinis ar-
 gumentum, est illud diuulsio à
 dulci charorum consuetudine; ex
 quo enim homo caritate saucius
 huic

huic sancto operi se addixit, æquè
 per vniuersum ministerij tempus
 refugitur, ac ipse letifer morbus,
 quem iure in alios transfusus ti-
 metur. Itaque adhuc sanus, & in-
 columis horrorem sui, timoremq;
 alijs ingenerat, vt etiam viuentem
 præmori quodammodo suis, & à
 ciuili societate extraneum fieri o-
 porteat, quæ non exigua est patien-
 tiæ, ac fortitudinis materia: quæ e-
 tiam ex eo augetur, quod vt in vitâ
 sic etiam in morte ab omnibus
 auersum, ac quodammodo despe-
 ctum esse sit necesse.

Illud sanè in communi fato leua-
 men esse solet, quod in eo sit, qui
 lumina claudat, qui abiturientem
 spiritum vel sustineat, vel amantis
 ore, extremisq; basijs excipiat, qui
 funera luctu condecoret, calenti
 busto

siud

busto lacrymas infundat, & exanimè corpus, mœstosq; cineres quieti reddat, ac maiorum sepulchro. At ijs omnibus solatijs caret ille, qui pesti cedit, ne caritati aliquid decedat: destituitur enim & amicorum lacrymis, & luctu & pompâ funebri, & communi succumbentis naturæ solatio; quod malum quantum sit, quàm graue, acerbum, & cuique mortalium inuisum eleganter describit Seneca; sic enim canit.

*Pars nulla regni immunis exitio
vacat,*

*Sed omnis ætas pariter, & sexus
ruit;*

*Iuuenesq; senibus iungit, & gnatis
patrem*

*Funesta pestis; una fax talamos
cremat,*

Fletuq;

*Fletuq; acerbo funera, & questu
carent.*

Fletu, inquit, & questu carent
funera, quod extremum est misere-
riæ, ac calamitatis; quam & incestu-
næniâ prosequitur etiam Ouidius

*Corpora missa neci nullis de mor-
feruntur*

*Funeribus: neque enim capiebant
funera portæ.*

*Aut inhumata premunt terras,
aut dantur in altos*

*Indotata rogos: & iam reueren-
tia nulla est.*

*Deq; rogis pugnat, alienisque igni-
bus ardent;*

*Qui lacryment desunt, indefle-
ctæque vagantur*

*Natorum, matrumque anima,
iuuenumque, senumque*

*Nec locus in tumulos, nec sufficit
arbor in ignem*

Hæc est Poetæ oratio, suis quidem illigata numeris, at lacrymis, querelisque soluta: soluit autem in eos gemitus vel hoc ipsum quàm maximè, quod cadauera indotata abijciantur in ignes, in rogos, quod ijs nulla sit reuerentia.

Quod si Ouidio cuiquam, viro ad omnem libidinem prostituto, ea visa est cura corporis, ac sepulchri: longe maior esse potest, ac debet animis à gratiâ cœlo iam renatis, quibus corpus opportunum in hoc æuo diuersoriū fuit: Theodori quidem nihil interest humine, an sublime putrescat: at Christiano, ac religioso homini refert quàm maximè. Appello Abrahamæ, Isaaci, Iacobi fidem, & vota, quibus id studium fuit, vt ad Patres suos apponerentur, redderentur eidem

K tumulto

146 DE FORTITVDINE
tumulo, & ossa ossibus, cineres cineribus iungerentur.

At eam quoq; curam, studium
que ponit, quisquis ex caritatis in-
dulgentiâ, peste laborantibus inle-
ruit; eoque nomine sui in paucis
non in vitâ modo (quod aliorum
animi) sed & à morte contemptor
(quod altissimæ mentis, & hero-
icæ virtutis argumentum est), atque
illustre quoddam martyrij genus
vt in sequenti paragrapho docebo-
mus.

§. 7.

*An qui peste laborantibus ex caritate
assistit, in eoque officio moritur, in
Ecclesia Martyres sit accensendus.*

IN hac quæstione ex me nihil
statuam, nihil definiã: eius cen-
sura ac iudicium esto penes Eccle-
siam, quæ est columna, & firma-
mentum

mentum veritatis. Tantum nostræ
 curæ, & laboris erit in medium af-
 ferre sanctorum Patrum testimo-
 nia; tum etiam Ecclesiæ sensum,
 tacitamque approbationem, tum
 denique, si quæ pro eo argumento
 faciât rationes. Et hæc omnia breui
 compendio: plura, qui volet, per-
 currat opus P. Theophili Raynau-
 di de martyrio per pestem.

*Patrum pro affirmante sententiâ au-
 thoritas; & Ecclesiæ sensus.*

Pro hac sententiâ, quæ heroas
 illos, Christi que pugiles Martyrij
 laureâ condecorat; acriter pugnat
 Antiquitas, & scriptorum illu-
 strium autoritas; è quibus primus
 in aciem prodit Clemens Alexan-
 drinus, scriptor omnium consen-
 su vt antiquissimus, ita & grauissi-
 mus.

K 2 Marty-

Martyres ille partitur in duas classes, eosque Christo propinquos facit; qui ad nos & ipse accessit amoris viâ, pro nobis vitam, & sanguinem ponens: ad eum porro & ipsi accedimus, ac propinqui firmus si aut pro ipso morimur, aut pro fratre, ac proximo: eius hæc sunt verba libro quarto Stromatum, ubi de Martyrij gloriâ disputat.

Si vel pro proximo moriaris propter caritatem, existimes Seruatorem nostrum esse propinquum: imo & fratrem: addit enim communis illius temporis Christianorum appellatione ita nominandum: quod Christi frater verè esset, cuius etiam in alios caritatem, morte ex caritate obitâ loqueretur.

Quisquis igitur in eam arenam descendis, atque occumbis, hunc tibi

tibi titulum erige, hoc tumulo Epitaphium inscribe.

Hic iacet N. Christi propinquus ac frater.

Clementi calculum addet S. Dionysius Alexandrinus in ep^o solâ paschali, cuius hoc fragmentum extat apud Eusebium.

Vbi descripsit immanem à peste ^{L. 7.}
cladem quam passus est Romanus ^{C. 17.}
orbis; cœlo vindice obfusum per
scelus Christianorum sanguinem,
tum extollit, ac prædicat flagran-
tissimam eorum caritatem, qui in
iuuandis ægris operam, vitamque
profuderant. Hic ex illius ore sen-
sus fuit illius temporis, ac veneran-
dæ antiquitatis. Adeo, inquit, ut
istud mortis genus, quod propter in-
credibilem pietatem, & robustam
fidem suscipiebatur, nihil à marty-
rij splendore abesse videbatur.

Hic stylum, oculumque fige,
mi lector, & in eo caritatis officio
suspice *incredibilem pietatem ac ro-*
bustam fidem, quæ nihil à martyrio
fidei causâ suscepto distare visa.
Certè nisi robusta foret ea fides,
palmamque gloriæ sub mentis o-
culos poneret, non adeò vitæ pro-
diga, & mortis esset patiens.

In In-
terpret.
Hist.
Eusebij.

Dionysio accedit Ruffinus, &
ipse grauis author; cuius hoc de
Christianis illius æui est testimo-
nium. *Constantissimâ, & ardentis-*
simâ fide, tanquam si martyrij tem-
pus instaret, miserando infirmos, se-
metipsos huiusmodi mortibus infe-
rebant, misericordiæ ex hoc marty-
rium capere præsumentes.

Vestros amo, ac veneror æstus
ilustres animæ, Heroes inclyti, siue
tuos Franciscæ, siue tuos Xaueri,
siue

siue etiam tuos, in timido sexu Te-
 resia; ab illo certè etiam ad remo-
 tas, barbarasq; nationes excessistis,
 vt in alieno, ac truculento solo suc-
 crescentem vberius martyrij pal-
 mam inueniretis, quam in patriâ,
 & domi, legere non poteratis; vos
 inquam vel ex eo tantum genero-
 sâ mentis impetu colo, ac suspicio:
 neque vos minus amo, ac demi-
 ror, qui vt in sortem martyrum
 misericordiâ veniretis; in eâ mor-
 borum lanienam lubentes, volen-
 tesq; descendistis: sed ab arenâ,
 campoq; gloriâ vestrâ, in quem
 animo iam abij, ad authores, qui
 honori vestro velificantur, reuer-
 tor; & Clementi, ac Ruffino addo
 Augustinû, cuius authoritas, ac do-
 ctrina cœteris facîle supereminet.

Querit ille, quod sit Ecclesiasti-

152 DE FORTITVDINE
ci Pastoris officium, quæ partes in
publicâ calamitate, siue ea creetur
ex barbarorû incurfu, atq; illuue,
siue etiam à pestilentis morbi vi,
atque strage: eadem enim huius
atque illius est ratio; & responde
id esse muneris, id officij boni Pa
storis, non sese fugâ periculo sub
ducere, etsi possit, cum ita publica
necessitas, caritasq; postularit: de
de subdit, quæ eis in cælo reposita
laurea; si mortem in eo Christiani
miserationis studio oppetierint.

Epist.
180.

*Qui, inquit, patiuntur, quia fra
tres, qui eis ad Christianam salutem
indigebant, deserere noluerunt, seu
dubio suas animas pro fratribus po
nunt.*

Quanti autem apud eum sita
anime pro fratribus abiectio, vel
eo constat, quod illam etiam
mar-

martyrio anteponat, quod subitis,
qui fugiens persecutorem, compre-
henditur, vitamque perdit, ne fi-
dem perdat, atque prostituat.

D. Augustino calculum addet
B. Laurentius Iustinianus, qui D.
Martinum vel ex hoc tantum do-
nat martyrij laureâ, quod noluerit
iratis principibus fugiendo pericu-
lum declinare; quæ sententia si ve-
ro proxima, quidni & illum ornet
palma martyrij, qui à morbo leta-
li, ceu tyranno, non fugit, cum ta-
men etiam tuta conscientiam possit,
vrgeantque quodammodo vel ip-
sæ naturæ leges, & is, qui cuique
insitus est vitæ amor, ac cupiditas,
non fugit inquam; ne quid laban-
ti, atque à luce deficienti fratri deesse
videatur, quod ad animæ salutem
faciat. Sed hætenus Patrum sen-

K s tentijs

rentijs pugnatum est satis; et si enim ab illis magnum in hac materiâ pondus accedat, longè tamen maximum ab authoritate Ecclesie, cuius etiam folius nutus, & aliqua ratione expressus sensus, viro catholico, bonoq; satis ad fidem esse debet: hunc porro tenemus, non tam viuæ vocis oraculo, quàm exemplo firmatum.

Ita enim de SS. Alexandrinis, qui lue contactos iuuerunt, & in eo caritatis obsequio diē suum obierunt, habent antiquæ tabulæ, & Romanum Martyrologium Ecclesie authoritate probatum: in quo hæc leguntur verba pridie calendæ Martij.

Alexandriæ commemoratio SS. Presbyterorū, Diaconorum, & aliorum quàm plurimorum, qui tempore
Vale-

*Valeriani Imperatoris, cum pestis
seuissima grassaretur, morbo labo-
rantibus ministrantes, lubentissimè
mortem oppetiere, quos velut mar-
tyres religiosa piorum fides vene-
rari consuevit.*

Fuit Alexandria Romanæ Ec-
clesiæ filia, inter ceteras facile prin-
ceps, sede Patriarchali nobilis, & à
D. Marco Christi Scribâ, & Histo-
riographo instituta: à quo indubiè
primos hausit, & puros, putosque
Christianæ religionis latices, pla-
citaque veritatis; inter quæ & illud
Martyrum albo ascribendos illos,
qui in cõmuni illâ clade, & obuiâ
mortis imagine, ipsis fati superior-
es euasissent; vitamque in eo cari-
tatis officio deposuissent; quos in-
ter ordine, & dignitate primi re-
censentur presbyteri, qui peste la-
boran-

156 DE FORTITVDINE
borantibus sacramentum Confes-
sionis administrarunt.

Proximè sequuntur Diaconi,
qui ex antiquo Ecclesiæ more, ritu-
que operam suam nauabant porri-
gendæ populo Eucharistiæ.

Ep. ad
Hiera.
cen.
Epif.

Deinde alij plurimi, quos è po-
pulo fuisse docet Dionysius Ale-
xandrinus, & his corporum cura
maximè incubuit: partito scilicet
onere, ac labore, vt hi corpus, illi a-
nimum in extremis morbi angu-
stijs leuarent; & cadauera animã
iam ac spiritu vacua decenter sepe-
lirent.

Et quia illud Christianæ mise-
rationis officiũ visum est arduum,
pium, sanctum, qui in eo vitã ex-
cessissent communi illius Ecclesiæ
sensu, atque approbatione, Sanctos
appellare placuit, vtpote iam rela-
tos

tos in album Sanctorum: superum
omnium, Dei que ipsius calculo,
quo Martyres illos misericordiae,
proximos esse voluit martyribus
fidei in sede, thronoque beatitatis.

Ne vero, ut in humanis pronum
est, labentibus annis elaberetur ex
hominum animis ea pietas, ac cari-
tas; ne lapsu temporis aliquo mo-
do detereretur: placuit signare die
vnum, quem ut sacrum haberet,
coleretque Alexandrina Ecclesia,
solemni commemoratione SS. Pres-
byterorum, Diaconorum, aliorumque;
plurimorum, *quos velut Marty-
res religiosa piorum fides venera-
retur.*

Quae autem fuerit illa dies est
in alta nocte, dubioque: hoc tamen
in luce, certa que scientia Romanam
Ecclesiam ex veteribus scriptis ho-
rum

158 DE FORTITVDINE
rum athletarum memoriam hau-
fisse, & in suos fastos transtulisse,
cum sacro martyrij titulo ijsdem
iam olim Alexandria ascripto, quæ
etiam Romana Ecclesia, quæ Petri
sedes est, ac specula veritatis, in suis
ipsa tabulis, ratum, fixumque ha-
buit, non habitura, nisi etiam Mar-
tyres ipsa probasset, & ab omnibus
Christi fidelibus orbe toto sparsis
probari voluisset.

§. 8.

*Mors pro religione, pro fide exceptæ
eximius actus fortitudinis.*

FOrtem censuit, fortem amavit
Eleazarum Antiquitas: non
eò tantum quod audax in hostem
irruerit, quod aduersa ferro capita
messuerit, sed ob illud vnum vel
maximè, quod elephanto, cui insi-
debat

debat Anthiochus, se ipse suppo-
 fuerit, vt liberius in aluum imma-
 nis belluę, carneęque molis ense
 immitteret, sterneretque vnâ cum
 illâ etiam fessorem. *Quanta*, inquit
 Ambrosius, *virtus animi, vt mor-*
tem non timeret, vt medium pene-
traret agmen, vt molem bestię subi-
ret, quo pleniori feriret ictu, cuius
ruinâ inclusus magis, quam oppres-
sus suo est sepultus triumpho: Et eo
 quoque sepeliuntur Martyres, ex-
 celsa cœlo capita, heroes inclyti,
 quorum virtus omnis in patiendo
 potius est posita, quàm in agendo.

Eos ab illa fortitudine, luceque
 sanctitatis modo *cœli gemmas, ac si-* *D. Basil.*
dera triumphantis Ecclesię, modo
militantis robora, fulcra, columnas
 appellare solemus. Certè si è voce
 noscitur vir, & qui latet animus,
 etiam

etiam vt è voce audiatur martyr
oportet : Est enim ea interpretes ma-
gnæ mentis , altissimarum cogita-
tionum , & eximiæ fortitudinis,
quam etiam luculenta oratione te-
stata voluere inuicti pugiles , &
ij quidem non è virili tantum sexu,
ac robore ; sed quod magis etiam
ames, ac mireris ex imbelli, timidâ-
que mulierum turbâ : quas inter e-
nituit S. Fœlicitas , nominis omni-
ne, bono que fœlix, fœlicior à pat-
tâ prolè, datisque Ecclesiæ Marty-
ribus omnino septem.

Serm.

134.

*Ardebat illa, vt aureâ D. Chry-
sologi vtar eloquentiâ, atque anhe-
labat vt eos vno die sacros Mar-
tyres pareret, quos vix paruulos,
per annorum curricula generabat ;
Ecce mater quam vita filiorum fe-
cit anxiam, mors securam. Discur-
rebat*

rebat illa letior inter confossa ca-
 dauera, quam inter cunabula cha-
 ra filiorum: quia internis oculis tot
 cernebat braua, quot vulnera;
 quot tormenta, tot præmia; quot
 victimas, tot coronas. Hæ illi fece-
 re animos, & liberam omnino vo-
 cem, quâ filijs longe charissimis
 calcar adderet, ad supplicia, fer-
 rum, ignes, cruces, & acerbissimam
 mortem Dei, ac religionis causa
 obeundam. Erat nimirum in ma-
 tre, erat in filijs fortis *ut mors di-*
lectio, imo ipsa morte fortior ac su-
 perior.

*Cant. c. 8.
v. 6.*

Qui mortem rerum omnium *Fortitu-*
 quæ sub cœlo sunt fortissimam ef- *do Mar-*
 se dixit, næ ille certè verum dixit: *tyr. ab*
 quidquid enim aut terra tulit, aut *amore.*
 cœlum aspexit indomitum, inui-
 ctumque cœteris, illud edomuit,

L

vicit

vicitque mors ipsa: verum vt ea fr
vis mortis, maior tamen est amo
ris, qui in Martyrum animis ardet
atque exæstuat. De eo magnific
D. Chryfologus.

Serm.
40.

*Nihil durum, nihil amarum, ni
hil graue, nihil letale computat ve
rus amor, quod ferrum, quæ vulne
ra, quæ pœna, quæ mortes amorem
valent superare perfectum? amor
impenetrabilis est lorica, respuit iu
cula, gladios excutit, periculis insul
tat, mortem ridet, si amor est, vin
cit omnia: neque vincit tantum
verum etiam ipsis supplicijs, mor
tiq̄ue crudelissimæ insultat: quod
dum è cellâ suâ, sacroq̄ue silentio
contemplatur Bernardus, manum
explicat, stylumq̄; ducit in laudes,
& præconia tam eximie fortitu
dinis.*

Stat,

*Stat, inquit, Martyr tripudians, Serm. 61
& triumphans, toto licet lacero cor- in Cant.
pore, & rimante latera ferro, non
modo fortiter, sed alacriter sacrum
è carne suâ circumspicit ebullire
cruorem.*

Ac ne credas eam vim, ea tor-
menta, in Caucasum, in duros sco-
pulos, in rupem expertem vitæ, ac
sensus incurrisse, prosequitur S. Do-
ctor, & causam reddit, fontesq; ape-
rit, è quibus tantum roboris emanet.

*Nec facit, inquit, hoc stupor; sed
amor; submittitur enim sensus non
amittitur; nec deest dolor, sed supe-
ratur, sed contemnitur.*

Si oculis, & auribus habenda fi-
des esset, crederes inuictos Christi
athletas sub equuleo, immani que
totius corporis lanienâ, queri, ge-
mere, fatiscere: at ex vero non est

ita ; vt enim melleâ eloquentiâ D.
Ambrosius.

*Tunc vincit Christianus , cum
perdere putatur, & tunc perdit per-
fidia cū se vicisse gratulatur. Plau-
dit ergo cū illi insultatur, & surgit
cum premitur. Haud similis victri-
ci palmæ , quæ ponderi cedere ne-
scia, eo magis in altum tollitur, quo
grauatur amplius.*

Ad hoc porro animi robur , ex-
celsamque fortitudinē edocti Mar-
tyres , imò educati à *sapientiâ* qua

*Pro. c. 9.
v. 2.* *immolauit filias suas ; vel vt septua-
ginta : Sophia iugulauit filios suos.*

*O bonam matrem, inquit Tertullia-
nus, opto & ipse in filios eius redigi,
vt ab eâ occidar.*

*In scor.
piac.
c. 7.*

Multum certe interest Patrem
inter , & Matrem in filiorum edu-
catione: vt enim doctè animaduertit

tit

tit Seneca: *Aliter patres, aliter matres filiis indulgent: illi excitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoq; diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt: matres fouere in sinu, continere in umbrâ volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare.*

Lib. de
prouid.
c. c.

In humanis illud est discrimen patrem inter, & matrem, ex huius, illiusque genio: at non sic in diuinis; sit Martyri sapientia mater, sit Christus pater, & hic, & illa eum paternè, hoc est seuerè, educat; nec patitur in glorium domesticâ sub umbrâ latere, aut molli cubare in anserè: sed in campum, in solem euocat, & duris laboribus exercet, imò vinculis onerat, & è squallore, tenebrisque putidi carceris, in are-

L 3

nam

nam educit, in quâ modo cû igne,
modo cum ferro, modo cum be-
stijs certet, vt olim Ignatius: cuius
eæ voces æterna memoria dignæ.

*Vtinam fruar bestiis, quæ mihi
sunt preparatæ: quas & oro mihi
veloces esse ad interitum, & ad sup-
plicia, & allici ad comedendum me-
ne, sicut & aliorum Martyrum, non
audeant corpus attingere. Quod
venire noluerint, ego vim faciam,
ego me urgebo, vt deuorer.*

S. Igna-
tius E-
pist ad
Rom.
apud
Hier.de
scriptor.
Eccles.

Hæc vbi extulit alto spiritu; tum
ad suos blandè stylum conuertens
exclamat: Ignoscite mihi filioli: quia
mihi profit, ego scio. Ac ne videatur
ea dixisse sine graui causâ, ardore
quodam, æstuq; concitatæ mentis
subiungit:

*Nunc incipio esse Christi disci-
pulus, nihil de his, quæ videntur, de-
siderans*

siderans, ut Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant: tantum Christo fruar.

Ecce dignas celo voces, & amantia verba; à quibus ad rem ipsam, & extrema supplicia itum est. Vbi primum è caueâ educti Leones, vbi excussæ iubæ, auditique immanes rugitus, qui alium ab Ignatio terruissent, atq; exanimassent, mirum quantum animarunt: ita ad bestias, ad lanienam, ad mortem abiit, adijciens illud pro lemmate.

Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar.

Ac ne credas excelsum illud ingentis animi robur; in viros tan-

tum cecidisse, martiumque genus
 è virgineo, imbellique sexu vnam
 è multis producam: Erit illa puel-
 la ~~ter~~dēnis; sexu, ætate, naturâ supe-
 rior. Agnes erit inter virgines, mar-
 tyresque facile princeps: de qua
 magnificè Ambrosius.

De Vir-
 gin. l. i.

*Non sic, inquit, ad thalamum
 nupta properaret, ut ad supplicij
 locum, læta successu, gradu festina
 virgo processit. Flere omnes, ipsa si-
 ne fletu. Mirari plerique, quod tam
 facile vitæ suæ prodiga, quam non-
 dum hauserat, iam quasi perfunctæ
 donaret. Stupere vniuersi, quod iam
 diuinitatis testis existeret, quæ ad-
 huc arbitra sui per ætatem esse non
 posset. Quanto terrore egit carni-
 fex ut timeretur, quantis blandi-
 tijs ut suaderet, quantorum vota,
 ut sibi ad nuptias proueniret? At
 illa,*

illa: & hac sponsi iniuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet: quid percussor moraris? pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerne res trepidare carnificem, tremere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Qui enim timeret illa; quæ in Christi scholâ probè docta: duce, ac magistrâ Dei sapientiâ.

Si de profanâ sapientiâ ausus est pronūtiare Seneca. *Philosophia circumdada est, inexpugnabilis murus, quem fortuna nullis machinis laces-* Epist.
82.
fitum non transit. In insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, & arce se sua vendicat. Infra illum omne telum cadit.

Si

Si hæc, inquam, de sua Philo-
phiâ dixit ille: quid de cœlesti, diui-
nâque sapientiâ proferemus? ab il-
lâ stat martyris animus in insupe-
rabili loco, & humanis omnibus
altior fortitudine, ceu *arce se sub*
vendicat, & ita quidem vt *infra*
illum cadat omne telum: quomo-
do enim non caderet infra illum,
qui supra, imo extra terram est, hu-
manosque casus, vimque tyranno-
rum.

Audi quid de martyribus etiam
in carcere, vinculisque, protulerit
olim Tertullianus. Ita ad illos ora-
tione plenâ maiestatis. *Habet tene-*
bras carcer, sed vos lumen estis; ha-
bet vincula, sed vos Deo soluti estis;
triste illic spirat, sed vos odor estis
suauitatis: Iudex spectatur, sed vos
estis de iudicibus iudicaturi: cōtri-
stetur

Lib. ad
martyr.
c. 2.

stetur illic qui fructum sæculi suspirat: Christianus etiam extra carcerem sæculo renuntiauit, in carcere etiam carceri: nihil interest ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis.

Ecce quo rapit impetus animi, quo virtus ardua: si corpus spectes, & hunc quem spiramus aerem, in sæculo sunt Martyres; at si mentem ipsam, piosque voluntatis æstus, extra sæculum sunt; & hinc eximia vis, ac fortitudo superior huic sæculo, ijsque omnibus quæ in eo terrori, ac pœnæ esse possunt.

Plura, eaque illustria SS. Patrum testimonia producere possem, quibus eximia Martyrum constantia probari posset: sed quia ea in omnium oculis, & luce est: stylum sistam, tibi que, si modo possim, beneuole lector, addam animos, ut
 exem-

172 DE FORTITVDINE
exemplo Heroum illorum, quos
cælum amat, & terra suspicit, etiam
aliquid audere discas, & pati: ita
verbo, ita re etiam ipsâ docuere in-
uicti Christi pugiles, ita S. Ignatius
ad quem redeo, teque euoco, ut il-
lum etiamnum in scriptis suis spi-
rantem, ac loquentem audias. Sic
ille tibi, sic omnibus olim in terris,
sic modo de cælis.

*Firmiter dum cæderis, quasi in-
cus stato; generosi est athleta cædi, &
vincere; maximè verò propter Deum
nobis omnia patienda sunt, ut ipse
nos patiatur.*

§. 9.

Praeclara incitamenta patientiae, ac fortitudinis ex Tertulliano desumpta.

Tertullianus ad martyres librum inscripsit, stylumque duxit altius, vel ut ijs animos faceret, vel ut inuictam eorum constantiam deprædicaret: & quidem, Primum ex eo quod Spiritus Sanctus cum eis introeat in carcerem, qui ex vero *Diaboli domus est, & in quâ familiam suam continet.* Eo porro perueniunt martyres, ut illum etiam *in domo suâ conculcent:* iam enim foris congressi conculcarant fide muniti, & concordia armati, quâ enim potius? pax quippe Christiana bellum est illi; in quod vbi concesserunt Christi pugiles,

giles,

giles, omniaq; generosi animi impedimenta vsque ad limen carceris deduxerūt, exinde segregati sunt ab ipso mundo; multoque magis à sæculo, eiusq; rebus.

Et hinc sese erigit Martyrū constantia; sed inde etiam magis, quod extra carcerem sæculo renuntiarint in carcere autem etiam ipsi carceri. Hinc illę Tertulliani voces, illud de Martyribus encomium.

Nihil interest ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis.

Ex eo vero quod extra sæculum sint, primum fit, vt auferatur carceris nomen, & potius secessus vocetur, etsi enim corpus includatur, etsi caro detineatur, omnia tamen eorum spiritui patent, quia totum hominem animus circumfert, & quo vult, transfert. Fit deinde & alterum

terum quod etiamsi in equuleo, & catastâ distendi videantur, etiamsi lento igne torrerer, atque vstulari, gemereque sub immensâ tormentorum mole, non gemunt tamen: quia vt magnificè ille ipse Tertulianus, quo authore hic vtor. *Nihil crus sentit in neruo, quum animus in caelo est.*

Quidni autè in cælo sit bonum agonem subiturus, in quo Agonethetes Deus viuus est, Xystarches Spiritus sanctus, corona eternitatis brauium, Angelicæ substantiæ politia in calis, gloria in sæcula seculorum: ad quam priusquam peruenirent Epistates Christus Iesus eos Spiritu vnxit, ad illud scamna produxit, & instar Athletarum ad strictiore disciplinam segregauit; quia scilicet *virtus duritiâ extruitur, mollitie vero destruitur.*

Ad eam porro duritiam quã sur-
git, ac construitur virtus, forman-
tur Martyres non carne, sed spiritu,
illa enim infirma, hic firmus est.
Timet caro gladium grauem, &
crucem excellam, & rabiem bestia-
rum, & summam ignium penam,
& omne carnificis ingenium in
tormentis. Sed spiritus contrapo-
nit sibi, & carni, acerba licet ista, à
multis tamen æquo animo excep-
ta, imo & vltro appetita famæ, &
gloriæ causa; & quidem illius, que
tenuis vanescit in auras, & morta-
lis vitæ stadio clauditur: quo in ge-
nere produci potest Lucretia, qua
vim stupri passa, cultrum sibi ade-
git, vt gloriam castitati suæ pareret.
Asdrubalis vxor, quæ iam ar-
dente Carthagine cum maritum,
suum supplicem Scipionis videret,

vnã

vnà cum filijs suis in incendium patriæ deuolauit.

Meretrix illa Atheniensis, quæ conscia coniurationis cū propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam suam resectam in faciem tyranni expuit, vt nihil agere se sci- rent tormenta, etsi vltra perseuera- rent.

Produci potest & illa solemni- tas apud Lacedæmonios longè ma- xima, quæ flagellatio dicitur. In eâ ante aram nobiles quique adole- scentes flagellis affliguntur astan- tibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus. *Or- namentum enim, & gloria deputa- bitur, maiore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quàm corpus.*

Produci deniq; potest (ne omnes

M

con-

178 DE FORTITVDINE
confecter, quod longum esset) Mu-
tius qui manum suam dexteram
in arâ cremauit, vt hoc factum eius
fama haberet.

Quod si tantum terrenæ glorie
licuit de corporis, & animi vigore,
vt gladium, ignem, crucem, aliaque
tormenta contemnerent, mortales
sub præmio laudis humanæ: quid
licebit ad consecutionē gloriæ ce-
lestis, ac diuinæ? *Si tanti vitream,*
quanti veram margaritam? quis pro
vero non tantum habeat erogare,
quantum alij pro falso?

Certè hæc vna cogitatio, & pa-
tentis cæli, ceu mercedis aspectus,
Martyribus animos addidit, ad au-
dendum, ad patiendum quidlibet.

Atque etiam nobis addere de-
bet, ne in supremo Iudicij die, cum
orbis cum orbe componetur, &

cum

cum Gentili etiã Christianus, me-
rito cõfundamur. Si reformidaue-
rimus pati pro veritate in salutem,
quæ alij affectauerunt pro vanitate
in perditionem.

§. 10.

*Effusa Martyrum etiam in tormentis
latitia, atque exultatio.*

PRocopius inuictus Christi pu-
gil Mutio illo longè superior
thus manu accipere, illudq; subie-
ctis prunis ardētibus sustinere ius-
sus, vt si fortè dolore victus dextrã
inuertisset iniectis in ignem suffiti-
bus, Dijs litasse videretur. Ea tyran-
ni vis, ac dolus fuit, quem probè e-
lusit vir sanctus, manum quippe
immotam lento igne aduri passus,
ne qua maledicentiæ daretur occa-
sio: ac ne vox, ne animus deesse vi-
deretur,

deretur, interea dum arderet, stillaretq; manus, accinebat illud Dauidis. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*

Has inter voces, sacrumq; cantum, fortè Procopio ex oculis lacrymula decidit, & molli lapsu genas irrigauit, quam vt vidit Presbyterus euecti iam animi, & doloribus cedentis indicium esse, non sine commate petulantius illud ipsum obijcere cœpit: cui gloriosus Christi Martyr, etiam in tormentis ludere doctus, *nec mirum est, inquit, etiam lutum cum igni admouetur, sudat;* quasi diceret: corpus hoc mortale quod circumfero, mihi pro luto, quod cum aqueo humore compactum, sit, quid adeo mirum est si paululum exsudat, stillatque? ita

ita liberali, pioque ioco hominis
 petulantiam coercuit, docuitque; la-
 crymas sudorem esse, non mœren-
 tis animæ (vt nonnulli voluere) sed
 quandoque, & sæpius à gaudio ex-
 ultantis.

Hil. 10.
 de Tri-
 nit.

Testes appello, voloque Marty-
 res, qui ex illo impete, sacroque; æstu
 gestientis animæ, ad supplicia, ad
 ignes, ad cruces, ad mille mortes
 vltro deuolarunt, & in ijs mirum
 quantum exultarunt.

Fœlicianus acceptâ iam capitali
 sententiâ adiecit illud. *O quam iu-
 cundos dies annuncias octoginta iam
 annis expectatos.*

Nestor Pergæ Episcopus, non
 minus à genere, quam à virtute no-
 bilis, cum in equuleo etiam ad spe-
 ctantium horrorem, lacrymasque
 torqueretur; non lamentabili voce,

M 3

sed

sed amœnâ, sed hilari, & gaudia
iam, cœlestesq̄ue delicias spirante,
dixit. *Benedicam Dominum in omni
tempore, semper laus eius in ore meo.*

Cumq̄ue ei Præses specie aliqua
commiserationis ingeminaret læ-
pius illud, vt sese tormentis exime-
ret, obiecit istud dignum cedro.

*Cum Christo semper fui, & sum,
& ero.*

Ac ne sola vocibus illis esset fi-
des, è cruce pendens ad subiectam
turbam verba faciebat, fidei plena,
atque caritatis.

Eiusdem animi fuit Eusebius,
qui cum neruis distraheretur, igne
torreretur, plumbatis cederetur, ex-
cisâ linguâ, trepidantibus ad mira-
culum tortoribus, orabat.

*Gloria tibi Domine Iesu Christe,
qui me dignatus es seruis tuis ad glo-
riam adiungere.*

Nimirum inuictis illis Heroibus
 pati, morique, & gloriae fuit, & vo-
 luptati.

Ita S. Victor, non nomine tan-
 tum, sed & re etiam ipsâ victor te-
 statum voluit, cum enim à tortore,
 qui neruos equuleo laxarat, etiam
 secretis naturæ partibus feruens o-
 leum infunderetur: quasi affuso hu-
 more, suauique lymphâ ad tyran-
 num iactauit illud. *O quam suaue
 est hoc, sicut aqua sitibundo.*

Si quæras vnde illa suauitas, il-
 lud in æstu refrigerium etiam con-
 tra naturæ vim, ac tormentorum ?
 probè intelliges fluxisse ab animo,
 qui eo loci, ac temporis, omnibus
 lætitijs incessabat, à quibus etiam
 Petrus, qui Diocletiano à cubiculis,
 ac secretis fuit, in igne, medijsque
 flammis, quasi in rosis expirauit. Ac

ne putes eos altioris animę spiritus
in viros tantũ cecidisse, martiumq;
genus: multas videbis è fœmineo,
molliq; sexu, quæ etiam vltro in
ignes, ac rogos insilierunt breuioris
æui, vitæq; prodigæ, & ad beatam,
nunquamq; finiendam æternita-
tem aspirantes.

Et hæc præclara magnarum men-
tium facinora loquitur omnis ætas,
à quibus etiam ad eos venio, qui-
bus lætitiæ, vocisq; exultandæ
finē ne mors ipsa quidem attulit,
à quâ tamen altum silere solēt om-
nia. Atque vt vetera taceam, ad ea
de labor quæ quia recentioris sunt
memoriæ lectori beneuolo acci-
dent gratiora.

In Orientali Indiâ, quæ hac no-
strâ ætate plurimos Ecclesiæ Mar-
tyres parit, sub annum Christi mil-
lesimum

Iesimum sexcentesimū vigesimum
 octauum terris viuere desijt & cœ-
 lo cœpit inclytus è Societate Iesu
~~Martyr~~, P. Rochus Gonzales.

Excoluerat ille summâ cum opi-
 nione sanctitatis, & labore sane
 magno barbaras illas nationes, à
 quibus tandem totis ceruicibus fer-
 rum hausit, & vitam amisit: sed
 quod in eo mireris resecto iam ca-
 pite per ipsum cor eloqui audi-
 tus, & clarâ, expeditâque voce abire
 in Dei sui laudes: truncum erat cor-
 pus, ab eoque reuulsum caput il-
 lud quod fuerat officina altissima-
 rum de Deo cogitationum; muta,
 atque emortua conticescebat lin-
 gua; at cor ipsum minimè mu-
 tum, & silens: sed sonorum, & fa-
 cundum excessit in Creatoris sui
 laudes, & ignes amoris, quos olim

conceperat, etiam post fata emisit. Adeo liberalis & effusa Martyrum lætitia, vt etiam post fata spiret in exanimi corpore; cui affine est & illud, quod memorat P. Marcellus Mastrilli, in suâ illa Indica peregrinatione, quam S. Xauerij nutu foeliciter suscepit, atque ex eiusdem auxilio peregit foelicius: tandemq; etiam foelicissimè conclusit: fuso Christi causa sanguine.

Refert ille duos è Societate Iesu in Iaponia Martyres, non in supplicijs modo, quæ fuerant atrocissima, sed etiam post mortem hætenus inaudita, & stupenda lætitiæ argumenta edidisse.

Martyrio affecti diuersis in locis, discreti quidem corpore, non tamen animo: longè enim ante prædixerant tortoribus se eadem pariter

ter

ter horâ, è vitâ Dei causâ migratu-
ros: prædictioni respondit euentus,
non sine alio, & quidem mirabili
prodigio, cum enim corpora ad se-
pulturam eundem in locum com-
portarentur, ad mutuam præsen-
tiam sese salutarunt, & collocuta
sunt, perinde ac si viua fuissent, non
sine stupore astantium, & amabili
cæli prodigio.

Si ex me scisciteris, quæ fuerint
illa Martyrum colloquia? quæ vo-
ces? quæ gratulatio? audies eam fuis-
se de gloriâ, ac beatitate, quâ modo
fruebantur in cælis fœlices animæ,
de tormentorum breuitate, pretio-
que generosæ mortis, à quâ sibi adi-
tum fecissent in æternitatem. Iacta-
bant nimirum illud quod in vitâ
Paulus Gentiùm Apostolus.

37 *Non sunt condignæ passiones hu-*
ius

*I. Rom.
c. 8. v. 13.*

Serm. 2.
de Feste
SS. om-
niam.

ius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis. Si quotidie, inquiebat Augustinus, oporteret nos tormenta perferre, si gehennam ipsam paruo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus uenientem in gloriâ, & Sanctorum eius numero sociari, nonne erat digni pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?

In arenam euocat Augustinus, omne quod triste est: seu illud esse uoles paupertatis angustias, & fordes, seu aceruum cumules iniuriarum, seu corpusculi huius afflictiones, morbos, vulnera, ferrum, ignes, catastas, cruces, mortemque ipsam per extrema supplicia exigendam: illud, inquam, omne heroicâ mente proritat, deuocatque ut cum

cum eo certet, qui gloriæ, ac beatitudinis fuerit candidatus, audetq; polliceri, vt hic omnibus illis superior euadat: adeo potentes sunt stimuli gloriæ, ac beatæ æternitatis, quam animo dum legit D. Franciscus, percitus æstu quodam voluptatis, exclamat.

Tanta est gloria quam expecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis.

Delectet, inquit Franciscus, quia animo, cui terra est in postremis, & cælum in primis curis, volupe est pro hoc adipiscendo quidlibet & agere, & pati.

Hinc ea vota, & piæ querelæ S. Gordiani Centurionis, fortissimi Martyris, qui dū omni propè suppliciorum genere cruciaretur, aiebat

bat

bat nihilominus. *Damno se affici,*
quod nō sapius mori pro Christo pos-
set. Nimirum ei satis non erat vel
 vna vita, spiritusque plures optasset
 vt eos Dei sui causâ profunderet, &
 hoc quidem excitatus vel vna spe
 cœlestis gloriæ; quâ etiam olim v-
 sus est opportunè Pusices Medicus
 vt Ananiam senectâ debilem, &
 ad obiecta tormenta trepidantem
 animaret, hac vsus oratione. *O se-*
nex paulisper oculos claudere, & æter-
na vide. Claude, inquam, oculos
 terræ, & huic vniuerso aspectabili,
 & cælis aperi, illique gloriæ, quam
 nec oculus vidit, nec auris audiuit,
 nec in cor hominis ascendit: vbi illi
 præmio, ac laureæ, mentis, atque
 intelligentiæ, oculos recluseris, in
 equuleos, in catastas, in cruces, in
 rogos, in mortes ibis: hoc vno bea-
 tus,

1. Cor.
 6. 9.

tus, quod cælo teste, Deo iudice, ac remuneratore patiaris.

§. II.

*Qui filium, Civium suorum libertatē
immolat: næ ille fortis.*

NEquæ mei consilij, neque huius exigui operis est, vel antiqua commemorare, vel vnum veluti in fasciculum cogere ea fortitudinis exempla, quæ omnis prope spectavit ætas, sed è multis vnum producere, quod quia recentioris est memoriæ, Lectori beneuolo gratius accidet.

Aluit Hispania deuotum patriæ pectus, Regique suo in paucis fidum: is Alfonsus fuit, Cartheiæ Dux fortissimus. Eum olim obsederant Mauri, & iam sæpius qua pollicitationibus, qua minis, qua
etiam

etiam armis, & impete facto ad deditio-
nem sollicitarant. Ille Hispanæ fidei,
animique tenax, omnes deditio-
nis leges respuere, fugere, auersari.
Interea filius, qui ei erat vnicus,
dum forte imprudens, & incautus
elabatur, hostiumque agros pererrat,
in eorum manus incidit. Hic exultare
Mauri, iamque de Cartheiâ actum
credere: captiuum adolescentem
bellico plausu, ac clamore circum
mœnia ducunt, patri ostentant,
minanturque nisi urbem dedat
acturos se nati in viscera ferrum.
Quid hic agat infœlix parens?
si urbem hosti tradat, in patriam
impius, in Regem erit iniurius;
si neget, in filium crudelis
videri poterit; maluit tamen
in filium durior, quam in Regem
minus fidus videri. Itaque patrem
misit, exiit,

exuit, & ducem induit, toruoque
lumine Mauros despectans.

Mene, inquit, deterrere putatis.

*Venales animæ, & Dominos mu-
tare paratæ?*

*Si me fecisset proles centena pa-
rentem.*

*Staret, & hostili natorum turba
sub ictu;*

*Nil me præterea recti de trami-
te flectant,*

*Exarmentue ducem lacrymæ,
mortesq; meorum.*

*Hæc dicens subito vaginâ libe-
rat ensen,*

*Elatoq; minax: rabies si tanta
cruoris,*

*Ferrum, ait, accipite: & fer-
rum de mœnibus altis*

*Proiecit pater, inde suos, & te-
sta reuisit*

N. *Securus*

*Securus, potuitq; parata accumbere
mensæ.*

Hæc Alfonsi constantia primo
Mauros attonitos habuit, ac dein
irâ, ac furore præcipites in miseri a-
dolescentis vulnera, & cædem egit.

It cœlo barbarorum clamor, &
ciuium è mœnibus comploratio.

*Et ferrû in Venas pueri nil tale
merentis*

*Et frustra palmas ad mœnia no-
ta leuantis*

*Immergunt, donumq; patris in
viscera condunt.*

Interea

*Euocat Alfonsum fragor, atq; in
mœnia currit,*

*Et nati aspiciens letho languen-
tia membra,*

*Quanquam animo redit vsque
parens, tamen exiit illum*

Dux

*Dux melior, ciuesq̄ obiurgans,
hoc erat inquit,*

*Quod veluti captâ complor au-
stis in urbe,*

*Vosq̄, puerq̄ meus casu pendetis
ab uno?*

*Illum ego nutribam patriæ, iam
reddidi & urbi.*

*Hæc reor infestum placabit vi-
ctima Numen.*

*Dixit, & extemplo ad conuiuia
nota recurrit.*

*O ingens anima, ô fato insupera-
bile pectus*

*Vicisti patria, vicisti, & omnes
seu blandientis naturæ illecebras,
seu ferocientis hostis impetus supe-
rasti. Ita nimirum æquum est, vt
se patrem nesciat, quisquis ducem
esse nouerit; nec naturæ, natisque
pareat, quisquis Regi, patriæque pa-
rere didicerit.*

§. 12.

De Ciuili morte, siue exilio aequanimiter tolerando.

DE hoc argumēto multi multa ex naturâ, ratione, historijs, omnique penu eruditionis, ego meo more pauca, & quidem primum quid sit exilium, tum que in eo grauia esse videantur, aduersum quæ depugnare debet fortis, & generosus animus.

De Cō-
fol. ad
Heluiã
c. 6.

Exilium, inquit Seneca, *Locum commutatio est*, quæ id affert acerbi, quod quisquis est exul, carere debet Patriâ, quod incommodi genus, vt qua licet, eleuet, ac minuat; liquido ostendit, è mortalibus plerosque non tam necessitate, quam voluntate, sua carere Patriâ, adeoque etiam exulare.

Aspice,

Aspice, inquit, hanc frequentiam, cui vix vrbis immensa tecta sufficiunt. Maxima pars illius turbæ Patriâ caret. Ex municipijs, & Colonijs suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios adducit ambitio, alios necessitas officij publici, alios imposita legatio, alios luxuria opulentû, & opportunum vitijs locum quærens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula. Quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendendæ virtuti nacta materiam; quidam venalem formam attulerunt, quidam venalẽ eloquentiam. Nullum non hominum genus cõcurrit in vrbem & virtutibus, & vitijs magna pretia ponentẽ. Hæc vbi produxit Philosophus, tum illud ad extremum conficit, nullum

198 DE FORTITVDINE
esse exilium in quo non aliquis a-
nimi causâ moretur, addamus &
virtutis, quæ quandoque & sæpius
ab ipsâ necessitate ingens sumit in-
crementum, pluraque dat sui vel
documenta, vel exempla in exilio,
quam in patriâ. At inquires tria in
illo videri possunt grauissima.

Primum est, quod exul cogatur
extra patriâ viuere. Alterum, quod
inde consequens est, patrijs hono-
ribus carere. Tertiū denique, quod
etiam necessarijs destitui.

Prima ratio homini, cui bene
sedet animus, inanis est, & vacua,
nam omne solum viro forti pa-
tria, ideoque rectè Socrates mun-
danus dici, & esse volebat, & certè
volet, quisquis se ipse spectabit, &
mirabitur, vt enim Seneca, quo in
hoc opere liberalius vtor. Magna,
inquit,

inquit, & generosa res est humanus animus. Nullos sibi poni, nisi communes, & cum Deo terminos patitur.

Primum, humilem non accipit ^{Ep. 112.} Patriam, Ephesum, aut Alexandriam, aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis solum. Illi patria est quodcunque supernè, vniuersa, circuitu suo cingit. Hoc omne conuexum intra quod iacent maria cum terris, intra quod aër humanis diuina secernens, etiam coniungit, intra quod disposita tot Numina in actus suos excubant; christianè dixisset illud omne viro forti patria, intra quod Numen in eius actus excubat, vt deinde ab exilio, meliore, id est cœlesti patriâ, donet; & quia hanc attendit, ad hanc suspirat, & totis animi viribus

anhelat generosus Christi Athleta,
ideo exilium ne de nomine quidē
nosse se fateri volet.

Vadem habeo Basilium Mag-
num, qui D. Gregorij Nazianzeni
ore, linguaq; Valenti Præfecto exi-
lium minanti sic loquitur.

Orat.
20. nū.
24.

*Exilium haud cognosco, qui nul-
lo loco circumscriptus sum, ac neque
hanc terrā, quam nunc incolo, meam
habeo, & eam omnem, in quā proie-
ctus fuero, pro meā duco; imò ut re-
tius loquar, vniuersam terrā Dei
esse scio, cuius aduena ego sum, &
peregrinus.*

Et quia Dei est vniuersa terra,
hinc etiam suam esse credit, quil-
quis ei vni se commiserit, senseritq;
sua esse quæ Dei, ad quem vt adue-
na, & peregrinus celeri cursu con-
tendit.

Neque

Neque porro maioris momenti erit secunda ratio apud prudentem, qui solidos honores, non in hominum oculis, in aulæ gratiâ, in principum fauoribus collocatos esse nouerit; sed in vna virtute, quam secum circumfert ipse, quocumque tandem eum vel fortuna iecerit, vel aduersariorum vis, atque potentia detulerit.

Hinc Varro Romanorum doctissimus, aduersus incommoda, quæ exilio adhærent, hoc satis esse putabat remedij, quod liceret in exilium euntibus virtutes suas ferre secum, quo etiam respexit Seneca, dum ait.

Dic quæ pulcherrima sunt, quocumque nos mouerimus, sequentur: natura communis, & propria virtus.

In consol. ad Heluiam c. 8.

Nec denique mouere quemquam

N s debet

debet postrema ratio, quæ in exilium abeunti proponit domestice rei angustias, paupertatis sordes, incommoda, quæ ad sapientis animum appellent quidem, ceu fluctus aliqui in hoc æstu vitæ mortalis, at eum non tangent, nedum concutient, & de suâ sede dimouebunt: Scit enim vt antiquum illud, ita verissimum. *Necessariis rebus exilia sufficiunt, superuacaneis, nec regna.* Animus est qui diuites facit. Hic in exilia sequitur, & in solitudinibus asperrimis cum quantum est sustinendo corpori inuenit, ipse bonis suis abundat, & fruitur. Pecunia nihil ad animum pertinet. Lapides, aurum, & argentum, & magni, leuatiq̃ mensarum orbis terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus, ac naturæ
sux

suę memor; & quia amare non potest, ideo neque de illis ereptis impotenter dolere.

Demus aliquod in hoc genere christianę fortitudinis exemplū, S. Meletius Patriarcha Antiochenus malis artibus, doloque insolenti hæreticorum Arianorum à Valente Imperatore exilio damnatus est. Quod ubi in vulgus spargi cœpit, illico totius populi commouit animos, & confertam ciuium turbam in plateas, in compita, in forum exciuit; it cęlo ingens clamor, & quā amore, quā dolore, quā etiā ira concitatae alię atque alię voces, quas inter auditę & istę: certum esse, statumque omnibus potius mori, ferroque dare obuia capita, quam permittendum vt à suis ouibus bonus Pastor, à suā Ecclesiā

Chry-
sostom.
hom. de
S. Me-
letio.

Præ-

Præful auelleretur. Dum ea pro foro iactantur, & omnium aures, animosque pulsant, vrbis gubernator, veritus populi tumultuantis impetum, vimque iam paratam, atque imminentem, vt eam vel falleret, vel eluderet, ad Præfulis ædes aduolauit, eumque clam, suam ipsius rhedam conscendere iussit: ratus eâ ratione ciuibus inscijs abduci posse, secus tamen euenit: vt enim in omnes occasiones intentus est amor, timorque; plenus suspicionis, & bene oculatus, deprehendit illico Episcopum eadem cum gubernatore rheda vehi, & citato cursu in exilium deportari. Fit populi concursus, fit clamor, fit comploratio, & inter muliebres eiulatus, ac lamenta à pueris, ab adolescentibus, à viris, ab omni ordine, sexuque

sexuque ad saxa, ad lapides itur, &
 grandinis instar petitur, ac prope
 obruitur scelestum caput. Quid
 hic putatis fecisse Meletium? potuit
 illico exilire rhedâ, suisque filijs pa-
 rens optimus reddi; potuit impiû
 Præsidentem inter saxa, mortisque te-
 la deferere, obruendum sine dubio,
 & densa inter iacula, lapidumque
 aggeres tumulandum; non fecit
 tamen; sed potiùs inaudito à sæcu-
 lis seu patientiæ, seu caritatis exem-
 plo, surrexit ipse, & gubernatorem
 saxis vndiq; impetum arctè cin-
 xit, amplexatus est, togaque suâ in-
 uoluit, ac celauit, hacque ratione
 præsentis periculo eripuit: Etsi enim
 in iustas iras, vindictamque arsisset
 populus, manusque leuasset ad ia-
 ctum, sustinuit tamen ne forte ab-
 errante saxo, manuque iaculantis,
 Episco-

Episco-

Episcopus ipse vel leuiter tangere-
tur: Interea temporis concitatis e-
quis trahitur, vrbe educitur, & in
exilium raptatur, non tam impe-
rantis necessitate, quam pronâ vo-
luntate obedientis, qui etiam in eū
à quo per summum nefas, in para-
tam exilij sedem vehabatur, bene-
ficus esse, ac videri voluit, vitamq;
illi donare, à quo licet innoxius da-
nabatur, ciuili morte, hoc est exi-
lio. Vt inde noueris viro forti, verè-
que Christiano pluris fuisse poste-
ris dedisse documentum aliquod,
& exemplum seu insignis patien-
tiæ, seu inusitatae caritatis, quam si-
bi, suisque restitutum in patriâ, in
oculis, in amoribus, in suorum ci-
uium, filiorumque sinu reliquam
vitam exegisse. Hæc animo memo-
ri reconde, hæc sæpius apud te me-
ditare,

ditare, quisquis fortè patrij, soli fu-
miq̄ue amantior, exilij incommo-
da, damnaq̄ue pertimescis, ac fugis:
non eâ curâ isthæc declinaturus, si
tibi cælum patria foret, & terra exi-
lium.

Sed inquires, est istud magni Præ-
sulis, & sanctissimi Herois facinus:
non omnibus eadem mens, idem
animus, inditâq̄ue à Superis con-
stantia. Non abnuo, verum, ne in-
de tibi blandiaris improbè, credas-
q̄ue subinde licere à virtute, & for-
titudine discedere, ne discedas à pa-
triâ: tibi sub oculos pono illustre
Scipionis facinus, qui cum in eas
angustias reductus esset, vt vel Ro-
mam deserere, vel eius libertatem
premere cogeretur, sibi ipsi exilium
indixit, his apud Senecam verbis.

Nihil volo derogare legibus, ni- Ep. 86.
hil

*hil institutis, æquum inter omnes
ciues ius sit; Utere sine me beneficio
meo Patria, causa tibi libertatis fui,
ero & argumentum ex eo, si plus,
quam tibi expedit, creui.*

Hæc dixit, fecitque Scipio, nihil
legibus patrijs, nihil antiquis insti-
tutis derogatum vnquam voluit,
& tu qui Christianus esse & habe-
ri voles, quandoque iustitiæ, diui-
næ legi, ac virtuti aliquid decedere
patieris, ne tibi à patrijs laribus, fo-
cisque commodi aliquid decedat?
non voles certè si is es, qui esse po-
tes, ac debes.

LIBER



LIBER SECVNDVS.

PROOEMIUM.

*Quid sit, & quotuplex
iniuria?*

VLpiano, *Iniuria est omne id quod sine iure fit.* Ea alia est, atque alia: quædam enim verbis irrogatur, quædam re etiam ipsa; illa sæpe nuda est, & absque damno (nisi damnum esse velis aculeum linguæ, qui plerumq; plus pungit, ac lancinat quam ipsa ferri acies.) Hæc verò quæ in facto est posita, vel inuolat in fortunæ bona, vel famam, & honorem impetit, vel in ipsam corporis molem incurrit, eamque male afficit: nec illam tantum, sed & animam quoque ferit, &

L. I. ff.
de iniu-
rijs &
fam. li-
bell.

& nisi caueas, etiam perturbat. Solent enim ab illata iniuria enasci affectiones variæ, ac primum quidē Ira, (quæ est *ebullitio sanguinis circa cor*) à quâ deinde multæ excitantur passionēs, eæque subinde bonæ, & conformes naturæ ac rationi: subinde etiam malæ, atque difformes.

In bonis censeri potest zelus aliquis Iustitiæ ad coercendam nimiam, & insolentem male dicendi, agendi que licentiam. Verè enim, *vt magna illecebra peccandi, est impunitatis spes: ita nimia in facinorosos lenitas, in bonos crudelitas est: ne porro sit aut hæc, aut illa, bene prouidet, atque prospicit ardor quidam igneus exercendæ Iustitiæ, debitæque in sceleratos uisionis: in qua tamen seruari imprimis*

Cicero.

Lægius.

primis velim illud Lactantij Firmiani.

Surgamus ad vindictam, non quia laesi sumus; sed ut disciplina seruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. De ira
Dei.

Et hoc D. Gregorij monitum.

Ira in vindicta malorum sequi rationem, non praere debet. Et quia quandoque, & saepius aliter omnino fit, etiam euenit illud, ut in vlciscendis iniuriis, saepe crudelitas sit, & tamen Iustitia putetur. Ita nimirum nobis illudimus improbe. Verum enim in natura deprauata istud Cornelij Taciti. Gratia oneri, ultio in questu habetur. Ne porro habeatur, nobis erit in hoc Opusculo ad laborandum. Ep. 9.
32. mor.
Histor.
l. 3.

CA-

CAPVT I.

*Iniuriarum tolerantia, eximius
actus Fortitudinis.*

PRimo libro explicui ea fere
mala, quæ nobis vitio vnus
culpæ natura imposuit, duraque
nimium necessitas: hoc autem e-
ducam ea tela, quæ aduersa homi-
num vis, ac malevolentia in nos
euibrat, ijsque vel excipiendis, vel
etiam retundendis opponam scu-
tum Christianæ fortitudinis, eo v-
teris beneuole Lector.

§. I.

De iniuriâ quæ solis verbis inferitur.

EA cuiusquam fortasse leuior vi-
debitur, qui verba tantum
ponderabit, & sonum, quo inanes,
& innoxia vapulant auræ: non est
tamen

tamē ex vero leuis, quæ voce etiam
solâ ad aures iniuria appellit.

Testis erit Bernardus grauis mo-
rum censor, & huiusce disceptatio-
nis arbiter: censet ille ingentem ef-
se linguæ aculeum, lanceâ, clauo-
que duriolem, illum in scriptis lo-
quentem audiamus.

*Leuis, inquit, res sermo, quia leui-
ter volat, sed grauiter vulnerat: le-
uiter trãsit, sed grauiter vrit: leui-
ter penetrat animum, sed non leui-
ter exit: profertur leuiter, sed non
leuiter reuocatur: facillè volat, at-
que ideo violat caritatem; facillè
lingua labitur, nec minus facillè illa-
bitur cordi; & ei mirum quam im-
mane vulnus infligit; vulnus certè
quod grauius eo sit, quod à vi, ma-
nuque violentâ passus fueris.*

Appello ad ipsa Iobi tempora,
in-

Serm.
de 3.
custod.

infirmamque patientiam, quæ fortunis orba, & prolibus, quæ toto corpore faucia vocem tenuit, altoque silentio dolorem compressit: sed à linguæ iaculo sese continere non potuit, quin erumperet, & iniustas querelas, gemitusque elaboraretur: nimirum fortiora linguæ iacula, quam ferri: ab illis impetitus ita gemit mortalium omnium patientissimus.

Job. c. 19.
v. 2.

Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? in ædium ruinam erectus stetit Iobi animus, è charissimorum pignorum strage, ac tumulto superior euasit, à corporis vniuersi laniam quati potuit, non concuti, nedum atteri: at quod mireris, atteritur sermonibus: tanta vis est in linguam, tanta in maledico dente acies, quæ hominem

nem ipso ferro teri nescium, atterat ipsa, penitusque consumat.

Ita ut, inquit Origenes in illa Iobi verba, *Sæpenumero qui corporis cruciamenta toleravit, non passus est verba*; cui consentit D. Ambrosius, ubi de Iobo quæstio incidit: *Amiserat, inquit, Iob omnia sua: patiebatur vulnera caro eius: manebat ut tentationes verborum vinceret: nihil enim sic penetrat animam, sicut sermo fucatus, nihil iterum sic mordet, ut durior sermo, multi cum vicerunt adhibita tormenta, sermonum duritiem non sustinuerunt.* Hactenus ore ambrosio magnus Præsul, cuius ea verba multum habet momenti, ac ponderis. *Manebat Iobus, ut tentationes verborum vinceret: si crudelem corporis carnificinam, si fluen-*

Lib. 2.
de In-
corp. in
Iob c. 3.

O. tem

tem vndique faniem, si hiantia vulnera spectasses: non hominem, aut è viuis vnum aliquem credidisses, sed exutam suâ pelle feram, sed spirans cadauer credidisses, è quo veluti è malo, indignoq; tanta mente hospitio erupisset, euolassetque anima, nisi etiam tum in eâ statione morari debuisset, vt quæ cœtera vicerat, etiam verborum tentationes vinceret, tanquam extrema hostis tela, contra quæ opus ingenti robore, neruoque arduæ mentis; quam explicabis tum opportunâ, mollique responsione, tum verò vel maximè silentio.

Si ei, qui tibi verbis insultat improbè, tu verbulo feceris satis; dabis insigne patientiæ documentum, maius quandoq; quam si profundo silentio conceptos animo motus oppresseris.

Ita quondam Seruator optimus, militi sibi obijcienti insulsum illud, & immane, *sic respondes Pontifici?* utq; linguæ consentiret manus, alapam per summum nefas, impingenti adiecit illud: *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* Ioãnis 13. v. 23.

Exemplo fuit illud, ac documento; quo monentur posterius; verbis quandoque verba reddere, illatam iniuriam blandè diluere, & quasi è sinu mentis, ore diducto emittere.

Mortales inter, quibus in vindictam prona mens, & præceps manus, silentio sæpe nutritur ira, diuq; clausa magis efferuescit: ideoque suadendum plerisque ut per amantia verba, mitesque querelas elabifiniant, atque evanescere.

O 2

Id

Id si fecisset olim Absalom, in fratricidium aliquando non erupisset. Is acceptâ insigni iniuriâ à fratre suo Ammon, totû biennium

2 Reg.
8.3. v.12.

tacuit: & vt Scriptura notat. *Nec locutus est ad illum bonû, nec malum.*

Silentium illud adeo diuturnum patientiæ ascribi non debuit, sed impatienti iræ, odioque quod assurgebat magis, quo diutius premebatur: & verò ita tandem assurrexit, vt in fratris cædem euaserit.

Non sic ex rationis lege, Christi que placito, tacere iubemur, vt silentium sit potius tacita quædam vindictæ meditatio, quam iniuriæ remissio: ad hanc etiam spectant mollia, & amica verba; quibus etiam suis in parabolis vsus olim Seruator, *aduersus quem loquebantur, ve* (vt legit Euthymius) *nugabantur,*

Pf. 68.
v. 13.

qui sedebant in portâ, hoc est Iudices, qui in portis urbium iudicia exercebant; quos etsi instruat, carpatque suis in parabolis, amicâ tamen semper voce compellat.

Sic ad eum, qui nudus à veste caritatis nuptiarum locum ingressus fuerat, ait, *amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Math. c. 20. v. 12.

Amicum appellat, ab invidiâ, ab immani scelere & sibi, & Deo Patri inimicum: imò non amicum tantum, sed & indulgentiori voce: filium, aut filiam: ita enim ad peccatores Deus ore Sapientis.

Sicut lilium inter spinas: ita amica mea inter filias. Câi. c. 2. v. 2. hoc est interpretum iudicio: sicut lilium inter spinas, sic iustus inter peccatores: prodigio sane diuini amoris, ac patientiæ,

O 3 tientiæ,

tientia, quæ iustos amicos: peccatores etiam filias amantiori nomine cōpellat, vt quod sentire, quod loqui debemus, & verbo doceret, & exemplo.

Et hoc primum esto remedium aduersus insolentem linguam, eiusq; iacula, addo & alterum, quod in secretâ silentij lege positum, & eximia cuiusdam patientia est argumentum; quod vel ab ipso summo Numine petendum; eius calamo, voceq; ita quondam Isaias. *Tacui semper, filii, & patienti fui.*

e. 42.
v. 14.

Pusilli mortales hoc orbe luteo sparsi, capita sæpius erigunt, cæli insultant; & impudenti ore, blasphemâq; linguâ & superos omnes, & Deum ipsum laceffunt: tacet tamen ille, & profundo silen-

tio, illatas Majestati suæ iniurias
inuoluit: & hoc vno vel maximè
humanâ maiorem patientiam o-
stendit.

A Deo secundus generis nostri
Seruator, & hic vt Prophetæ verbis
vtar. *Cum malediceretur non male-* 1. P. c. 2.
dicebat; cum pateretur, non commi- v. 23.
nabatur.

Impia, excors Iudeorum turba;
maledicâ voce Christum impete-
bat, & immanis Gentilium cohors,
in corpus innoxium crebro verbe-
re sæuiebat: manabat vndique per
vulnera sanguis, & à capite ad cal-
cem nil nisi vulnus erat: quid in-
ter tot supplicia, crudelemque la-
nienam Deus homo? Isaia vatici-
nio paucis excipe: sic ille ore præ-
sago iam inde à primis sæculis.

Quasi agnus coram tondente se c. 53. v. 7.

obmutescet, & non aperiet os suum.

Quod de eo verbis expresserat
Propheta, hoc deinde re etiam ipsa
reddidit, qua in vitâ, qua in morte.

In illâ quidem, cum sæpius impor-
Math. 21 tunè argueretur à Iudæis: *relictis*
illis abibat in silentio; quia vt diser-
tè notat author operis imperfecti.

Hō. 28. *Malum hominem melius locum dan-*
do potest aliquis vincere, quam re-
spondendo; quia malitia nō instrui-
tur sermonibus, sed excitatur. Et
ideo Dominus recedendo compescere
studuit, quos respondendo non com-
pescuit. Et hæc patientiæ exempla
totius vitæ series exhibuit, maiora
mors ipsa, quæ virtutum, æuique
scenam clausit: in eâ stetit tanquam
Pj. 37. *surdus ad audiendas iniurias; tan-*
quam mutus ad recipiendas.

Atrox illa fuit contumelia, quæ

ei quondam in Herodis oculis illata, ad eam tamē ne verbo, ut maximē poterat, respondit. Quia ut doctē notat Tertullianus. *Saginari* Lib. de Patien-
tia c. 3. *voluptate patientie discessurus volebat*: erat enim uero post diem abiturus è vitâ, in quâ quantum licuerat, se ipse patiendi ardore refecerat atque recrearat: at eodem in extremo vitæ limine, mortisquē articulo *saginari volebat*, vel ipsâ *voluptate patientie*, à quâ etiam triumphum retulit, de quo Ambrosiana eloquentia.

Christus calumniis impetitus silentium detulit triumphale: hoc si Serm. 17.
in ps. 118. ames, & ambias, eandem etiam tibi silentij legem impone: Christum imitare, & eum, qui ex vero iustus est; de quo etiam Ambrosius.

O s

Iustus

In ps. 37. Iustus accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat læcessitus: quia ut ille ipse melleus Doctor: bonum est ferre conuitium, & conuitium non referre.

§. 2.

De iniuriâ quæ fortunæ bona dissipat, atque euertit.

Fortuna quibusdam mortalibus est mater, alijs nouerca: illis plenâ manu fundit opes, & auro gazas opplet: his concessa bona eripit, & ab amplissimis facultatibus ad extremas paupertatis sordes abiicit, quod quandoque casu, quandoque etiam hominum maleuolentiâ solet euenire. Ius illa violat, quod alicui in fortunæ bona competit: dum vel ea clanculum, furto surripit, vel apertâ vi, ac rapi-

rapinâ etiam in oculis tollit, vel importunis litibus, maloque dolo, ac fraude sensim exedit, ac etiam ditissimum quemque exhaurit, atque euiscerat.

Ne te offendat, amice lector, ea vocula, euiscerat; ex vero enim huic iniuriæ conuenit quam optimè: quia viro opulento diuitiæ, sunt quod corpori viscera, imò & cor ipsum.

Auitam appello fidem, & illud Labani ad Iacob, *Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas?* In Hebræo est, *Quid fecisti? & furatus es cor meum, & abduxisti filias meas.* Id est, vt explicat Caietanus: *Furatus es meas diuitias, quæ mihi erant instar cordis.*

Gen. 31.
v. 26.

Ita nimirum se res habet, diuitiæ hominibus huius æui pro corde sunt,

sunt, pro intimis visceribus, ideoque, qui eas per iniuriam aufert, & viscera extirpare, & cor è suâ sede, ac statione dimouere cēsendus est, & quod inde consequens, quasi è vitâ tollere.

Exod. 15.

v. 9.

Hinc illæ Pharaonis voces, ac minæ: *Interficiet eos manus mea*, vel vt Hebræi legunt, *depauperabit eos manus mea*, hoc est Hebræos ex Ægypto fugientes pertinax, & potens Pharaonis manus bonis omnibus exuet, depauperabit, imò & interficiet: quippe viro diuitiopes ipsæ pro vitâ, pauperies est pro morte: ideoque sicuti ad hanc fortiter superandam opus est insigni robore, ita & ad illam equo animo tolerandam plane necessaria virtus fortitudinis; à quâ vt te instruam, beneuole lector; primum rationes non-

nonnullas producam, quæ malum illud, si non omnino tollant, at saltem multum extenuent: tum exempla proferam eorum, quos vtraque fortuna sibi semper similes, ac constantes vidit, atque suspexit.

Pro ratione quæ leniri potest, ac solet dolor in illis fortunæ iniurijs, est, *Quod cupiditati nihil sit satis; naturæ satis sit, etiam parû, & hoc* Sen. in consol. ad Helviam c. 11. plerumq; relinquit etiã reflans fortuna, & aduersariorû inuidia, à quâ quidquid subtrahitur, subtrahitur voluptati, non necessitati: illi non sufficiunt quamplurima, huic etiã paucissima sunt satis; vt enim rectè Seneca: *Paruo fames constat, magno fastidium. Et necessariis re-* In consol. supra *bus exilia sufficiunt, superuacuis nec regna. Animus est qui diuites facit nō tam fortunis quàm virtute, quâ pauper*

pauper etiam omnibus exutus, se ipse inuoluit, ac tegit; eo expeditior futurus ad virtutis cursum, ad gloriae, ac beatitatis culmen, quo ab istis fortunæ phaleris, atque impedimentis fuerit liberior; quod argumentum pulchrè illustrat Minutius Felix in Octauio opportunâ similitudine.

Prorsus, inquit, ad viuendum velut ad natandum is melior, qui onere liberior. Sunt enim similiter in istâ vitâ humanâ tempestates, leuia sustentatui, grauiâ demersui.

Cû esses à fortunæ, hominumq; iniurijs immunis, & auro multo grauis, leuior ex vulgi opinione tibi fluebat vita: at ex sapientum placitis grauior erat, quam cum eo spoliatus es, parumque interest iurare, an iniuriâ sis spoliatus; si eo spolio

spolio liberior euadis ad natandū,
hoc est ad emergendum ex hoc vi-
tæ pelago, in quo quàmplurimi
diuitiarum onere ita premuntur, vt
subsident: euasuri omnino ex ijs
fluctibus, si peregrinam illam for-
tunæ vestem exuissent.

Ne mireris si diuitias, & blan-
dientis vitæ bona peregrina appel-
lem, & aliena: nec enim verè tua
sunt: sed omnium conditoris, qui
ea quasi mutuo tibi dedit ad vsum
huius temporis: quod bellè docuit
Stoicus ille Philosophus, qui disci-
pulis suis præcipiebat illud, ne quis
in opum, bonique alicuius iacturâ
diceret: *illud per didi; sed: illud red-
didi*, nempe Deo, à quo fuerat ac-
ceptum.

Sed audio, his præceptionibus
reclamas & obtrudis illud: bene
quidem

quidem mones æquo ferendum animo : si quæ Deus obtulit, & ipse repetat ; restituet enim uero lubens quisquis eam cæli manum agnouerit : at hominis alicuius ; atque etiam furciferi est ea maleuolentia, ac rapina : quam pro inde non sustinet etiam vel maximè patiens animus.

Bene habet , hic te volo amice Lector , & ad vnius viri quondam opulentissimi exemplum , ac fidem euoco. Is erit Iobus superis amicus in paucis , & cui parem in orbe suo sol non aspexit. Ei cœlum indulgens tot opes effuderat , quot æuo suo ferè nulli : sed eas vel momento rapuit, ac dissipauit inuidus Dæmon, & ab omnibus vacuum, nudumque etiam in sterquilinio reliquit : non sine insigni probro,
 sensuq;

sensuque doloris, in quo tamē semper fuus: has gementibus Inferis, stupente terrâ, probante cælo voces emisit. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*

*Iob. c. 1.
v. 21.*

Eam ædium suarum stragem, bonorumq; dilapidationem non ascripsit fato, & cœcutienti fortunæ; non Euro, ventisque sæuientibus, non Inferis, maloque Dæmoni, sed supremo rerum omnium moderatori, qui eam pro suo nutu aut laxat, aut reprimat: eaque fortunæ bona, quæ explicatâ manu fuderat, contractâ deinde eripit, cum ita visum fuerit; ideoque quod iustè queraris, non habes pusille homuncio, Dominus enim cum sit, auferre potest, quod suum est; tua-

P

rum

226 DE FORTITVDINE
rum dumtaxat partiū est, re etiam
ipsâ exhibere: quod cecinit Vates.

*Si dederis, perletus ero, repetiue-
ris, æquus.*

Quâ de re etiã sapienter Seneca.

Seneca
ad Po-
ly. c. 29.

*Iniquus est, qui muneris sui arbitriū
danti non relinquit; auidus, qui non
lucris habet, quod accepit, sed damnum
quod reddidit: ingratus est, qui ini-
uriam vocat finē voluptatis: stul-
tus, qui nullum fructum esse putat
bonorum, nisi præsentium.*

Haectenus Seneca, ex quo si sa-
pere, & loqui discas: bonorum tuo-
rum iacturã, qualis, qualis demum
ea sit, non tam iniuriam putabis,
quã amabilem Diuinæ provi-
dentiaē legem, quæ incautis mor-
talibus argentum, & aurum eripit,
cum forte præuidet obfuturum ce-
lestibus thesauris, atq; opibus, qua
in

in primis curis esse vult : ideoque
superum voluntati probè acquies-
cens, cum Gregorio Nazianzeno
hæc sentire debes, atque eloqui.

Gratias ago ut in laetis rebus, ita ^{Ep. 63.}
*etiam in acerbis, quandoquidem il-
lud exploratum habeo, nihil rerum
nostrarum apud summam rationem,
expers rationis esse.*

Tibi dum es in hac vitâ, ceu al-
tâ nocte, nullum apparet rationis
lumen, cur çam iniuriam, cælum
ipsum cœteroquin scelerum im-
patiens, patiatur tamen, atque susti-
neat, vbi corpus hoc, ceu inscitiae
indumentum exueris, vbi superis
eris additus, tum velut orto sole,
altoque eam die æternitatis tibi il-
lucescente liquidò perspicias, ita ex
bono tuo factum oportuisse; nihil-
que rerum tuarum apud summam

rationem ; expers fuisse rationis.

Eius porro probè conscius, vt
ibi finiam, vnde huiusce mex di-
sceptionis initium duxi: cum ti-
bi aliquid mali accidit, dic age cum

S. Aug.
in ps. 31.

Iobo, *Dominus dedit, Dominus ab-*
stulit ecce enim, vt inquit Augu-

stinus, *sicut Domino placuit, ita fa-*
ctum est, sit nomen Domini benedi-
ctum. Et non dixit, Dominus dedit,
Diabolus abstulit. Intendat ergo

caritas vestra, ne forte dicatis, hoc
mibi Diabolus fecit. Prorsus ab

Deum refer flagellum tuum, quia
nec diabolus tibi aliquid facit, nisi

ille, qui desuper habet potestatem,
permittat aut ad disciplinam, aut

ad pœnam. Ad pœnam impiis, ad
disciplinam piis. Et quia te inter pios

esse & volo, & credo, mi lector; si
forte pateris, ne plangas: vt enim

eodem

codem ore, calamoq; Augustinus.
*Quod pateris medicina est, non pœ-
 na; castigatio, non damnatio.* Et
 hæc proferri possunt causæ è multis,
 quas in secreto habet mens supre-
 ma, summaque ratio, apud quam
 nihil expers rationis.

§. 3.

*Opportuna cōsiderationes, quæ solatio
 sint in amissione bonorū externorum.*

EXterna bona, quæ ex vulgi
 opinione, magis quàm ex ve-
 ritate, tua esse credis, eripere tibi for-
 tuna potest, te ipsum non potest:
 nec insitam, si voles, à virtute con-
 stantiam, stabit illa, & si fractus il-
 labatur orbis, etiam impavidam
 ferient illius ruinæ: huius rationem
 reddidit Seneca: quia *sapienti non* E 86.
nocetur à paupertate, non à dolore,
 P 3 non

non ab aliis tempestatibus vita,
 quia scilicet ad omnes casus aptus;
 bonorum rector est, malorum victor;
 quod si forte quis imprudentior
 eum ab his premi credat, fallitur,
 illum premi putat malis, & tamen
 utitur: ad virtutis, excelsique ani-
 mi exercitationem: similis, inquit
 Seneca, sculptori, qui è qualibet
 materiâ simulacra fingit, ac format.

Non ex ebore tantum Phidias
 sciebat facere simulacra, faciebat ex
 ære; si marmor illi, si adhuc vilio-
 rem materiam obtulisses, fecisset
 quale ex illâ fieri optimum posset.
 Sic sapiens: Virtutem, si licebit, in
 diuitiis explicabit; si minus in pau-
 pertate; si poterit in patria, si minus
 in exilio: si poterit Imperator, si mi-
 nus miles: si poterit integer, si minus
 debilis: quamcumq; fortunam acce-
 perit.

perit, aliquid ex illâ memorabile efficiet.

Quod si authore, & iudice Senecâ, id potuit isto ævo sapiens, quid nostro christianus? *Si dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, & cætera horrenda, cum ad sapientem peruenerint, mansueta sint:* qualia erunt vbi ad Christi cultorem appulerint? erunt certè quàm mansuetissima, nec omnino afficient malè, nisi malum, atque insipientem: quid enim? nonne tuo calculo insipientem diceres eum, cui labor esset abire longius, atque ex hospicio in patriam emitti?

Finge tibi (liberæ enim sunt cogitationes nostræ) hospitem vnum aliquem aduenisse in diuersorium, cui amœna tecta, aulæa pretiosa, supellex argentea, tori molles in

232 DE FORTITVDINE
plumâ, & anserè, mensæ opiparæ,
verbo vt absoluâ, ad commodum,
ad voluptatem, ad delicias, omnia:
vbi his vsus fuerit vel vnâ tantum
nocte, orto iam sole, & stratis equis
non illubens abit, sed & volens, &
hilaris: quia meminit hospitium
esse, & ea bona de viâ tantum spe-
ctat, atque ad se nihil pertinere, nisi
forte ad vsum exigui tēporis; quod
si quis illius diuersorij commodis,
atque opulentiâ illectus ægrè se ab
eo auelli pateretur; omnium iudi-
cio & imprudens, & insanus habe-
retur. Et is est qui plus æquo dolet
sibi fortunæ bona eripi: non me-
minit ille sibi hunc mundū, quan-
tus is est, pro diuersorio esse, & il-
lius bona, omnemq; opulentiam,
ac maiestatem seruire hospiti vnus
diei: qualis est vita nostra vt lon-
gissimè

gissima sit cum æternitate compo-
sita. Non meminit, inquam, se ho-
minem, id est hospitem esse, imo
& viatorem.

Dic age, peregrinus aliquis de
viâ fessus adultâ iam die, & impen-
dente solis æstu, vt eum declinet,
ac fallat: sese recipiat sub arbore
pomifera, subque tecto viridi um-
bram captet: quamdiu credis eâ
frui volet? certè dum vires refecerit,
dum ab alto die respirarit; sibi enim
paululum, & quieti redditus, ab il-
lâ mox surgit, & viam inquit, pergit-
que leuiore gressu: quod si captus
amœnâ illâ frondiû viriditate, sua-
uitate fructuum, & umbraculi cõ-
modis, ad solis occasum, primaq;
tenebras iminorari vellet, profecto
parum sui memor, & compos ha-
beretur.

P s

Sic

Sic est omnis homo, quem vmbra vitæ nimium capit, ac delinit, quem nimis distinent pendula ex arbore poma, hoc est huius sæculi bona, quæ sibi, vtpote viatori relinquenda, nõ nouit verè tamen sunt relinquenda, vel ipsâ probante, ac volente bonorum externorum naturâ; audi de illis, vt solet, elatè dif-

Ep. 98. currentem Senecam.

Mortale est omne mortalium bonum. Vnum est verum bonum, quod non moritur. Certum est illud, sempiternumq̄, nempe sapientia, & virtus. Hoc vnum contingit immortale mortalibus. Cæterum tam improbi sunt, tamq̄, obliti quo eant, quo eos singuli dies trudent, vt mirentur aliquid se amittere, amissuri vno die omnia. Quidquid est, cui Dominus inscriberis, apud te est; tuum

non

nō est. Nihil firmū infirmo, nihil fragili æternū, & inuictum est. Tam necesse est perire, quàm perdere. Et hoc ipsum si intelligimus, solatiū est, equo animo perdere, quod perituum est.

Multa hic tibi sub oculos ponit Philosophus: primū mortale esse omne mortalium bonum, quid igitur quereris, si tibi quodammo- do moritur, atque occidit, quod naturâ suâ est tale, & tamen vt sit, plerumque adeo sui immemores sunt pusilli homunciones vt stupeant, querantur, gemant, cum aliquid amittunt, & non cogitant se vno die, imo & momento amissuros esse omnia. Se dominos credūt, eoq; nomine sibi illudunt improbè: & tamen ex vero, bonoq; Domini non sunt; apud se quidem habent bona, villas, possessiones amplas,

plas,

plas , aliaque fortunæ blandientis
 dona : sed ea cōmodato possident,
 tanquam aliena , non sua : vellent
 illa esse firma , stabilia , æterna , &
 non cogitant ea minus conuenire
 infirmo , & fragili : dolent cum ea
 perdunt , & non dolent , cū pereunt.
 Certè si necessum est ea aliquando
 tandem , imò forte post paucos dies
 tibi perire , quid adeo lugendum
 putes , si modo perdas : cum inter
 perdere , & perire sit tantum discrimen,
 & interuallum modici temporis ;
 & hoc quidem constitutum
 ex ipsâ rerum externarum naturâ,
 & fortunæ perfidiâ , à quâ nemo est
 indemnis , de hac disertè Seneca li-
 bro de tranquillitate animi. *Quæ
 sunt , inquit , diuitiæ , quas non ege-
 stas , & fames , & mendicitas à ter-
 go sequatur ? quæ dignitas , cuius non
 prætex.*

prætextam, & augurale, & lora
 patritia, sordes comitentur, & ex-
 portatio, & nota, & mille macula,
 & extrema contemptio? quod re-
 gnum est, cui non parata sit ruina,
 & proculcatio, & dominus, & car-
 nifex? nec magnis ista intervallis
 diuisa, sed horæ momentum interest
 inter solium, & aliena genua.

Hæc ubi dixit, ne verbis tantum
 addicatur fides, exempla profert,
 quæ versatilis fortuna dedit ad lu-
 ctum, & stuporem vniuersi; & ad
 ea lectorem euocat.

Locuples es, inquit? nunquid di-
 tior Pompeio, qui cum tot flumina
 possideret in suo orientia, & in suo
 cadentia, mendicauit stillicidia.

Honoribus summis functus es? nū-
 quid aut tam magnis, aut tam inspe-
 ratis, aut tam vniuersis quam Se-
 janus?

janus? & tamen quo die illum Senatus deduxerat, populus in frustra diuisit. In quem quidquid congeri poterat, Diij, hominesq; contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es? ad Crœsum te mittam, qui rogum suum & ascendit iussus, & extingui vidit, factus non regno tantum, sed etiam mortis suæ superstes.

Vbi hanc fortunæ inclinationē animo subiecit, tum monet vt illam expectemus ipsi, & in tantā rerum sursum, ac deorsum variatione pro futuro habeamus quidquid fieri potest; sicque necessitati pareamus, & rerum humanarum conditioni, quam mutare non possumus. Id possumus magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & natu-

Senec.

*P. 107.

naturæ consentiamus: natura autem sicut vniuersa mutationibus temperat, ita & singula.

Nubilo serena succedunt, turbantur maria, cum quieuerunt, flant inuicem venti, noctem dies sequitur, pars cæli consurgit, pars mergitur, contrariis rerum æternitas constat; ad hanc legem animus noster aptandus est. Hanc sequatur, huic pareat, & quæcumq; fiunt debuisse fieri putet, nec velit obiurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare nō possis, & Deum quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. Et hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus, ac degener, qui obluetatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mauult Deos, quam se.

§. 4.

Altera consideratio, eaque maximi momenti, quod diuitiæ plerumque sint occasio peccandi, & abeundi à virtute, summoque bono, id est, Deo.

L. 2. in
Iob. c. 5.

Scripsit olim D. Ambrosius, & rectè. *Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum; supinat, extollit, authoris obliuionem inducit.*

Matth.
6. 9. v. 9.

A diuitijs duo humanæ menti importari mala censet. Primum est quod ab ijs *supinat*: hoc est ita per insolentem superbiam erigitur, vt tamen per quamdam ignauiam, rerumq; diuinarum despicientiam deprimatur magis, pronusq; ac præceps in terram ruat, quod in Mattheo olim publicano notauit, ac deplorauit S. Chrysologus in illa verba: *vidit hominem sedentem*

in telonio. Sedebat, quia stare non Ser. 29.
 poterat, pondere cupiditatis oppres-
 sus, & ipsa totus conscientiam fraudis
 incuruus, nimirum aurum naturam
 graue, grauius fit auaritia. Hinc est
 quod plus habentem deprimit, quam
 ferentem, & vehementius aggrauat
 corda, quam corpora. Nascitur in
 terram profundam, per quam ima venarum
 caecis discurrit anfractibus, & dum
 suam repetit ad naturam, coelestes
 animos ad inferna deponit; dum
 scilicet salutis, Deique obliuionem
 inducit, quod alterum est, sum-
 mumque malum.

Testis erit infamis ille magistri
 sui proditor Iudas, cui insignis, &
 caeca auaritia sic illusit, ut & sui, &
 Dei sit oblitus, & primum ad in-
 fandum prodicionis scelus, deinde
 etiam ad laqueum properarit; re-
 tulit

Matth. c. 27. v. 3. tulit enim triginta argenteos, & abiens laqueo se suspendit, quod dum altius expēdit Drogo Ostiensis. Vi.

Lib. 1. de passione. de, inquit, quam magni ponderabat argenteos, non proiecit eos in sterquilinio sed in tēplo. Ecce infelix qualiter excœcatus est. Maluit seipsum perdere, quā denarios perire: denarios templo, seipsum laqueo addixit.

Sed non omnibus à nummis id vitium est, non omnes eadem ruina premit, sunt qui diuitijs vtantur bene; sunt qui sese ab ijs erigant, sibi que in cælis domicilium emant, ac parent. Non enim omnibus argentei pro laqueo sunt, quo sibi vitam, ac salutem eripiant.

Non abnuo quosdam esse, qui creditis sibi à Deo, naturâque opibus fruantur. Recte: sed affero omnino paucos, longè vero quā plurimos,

rimos, qui eas dispensent improbe, sibi que inde exitium creent, & vniuersim id pronuntio, quod ante pronuntiauit D. Basilius. *Aurum blandissimum animæ insidiatorem, parentem peccati, ac Diaboli administrum esse.* Ep. ad Chilonem. Ac ne multis te morer, amice Lector, in argumento satis obuio vnico exemplo tibi fidem facio.

Eulogius opificio latomus ceteras inter virtutes eximia fuit in peregrinos caritate, cuius admiratione captus Daniel Eremicola, apud Deum summis precibus egit, vt latomo isti pauperculo ampliores facultates elargiretur, ratus omnino fore vt tum se multo impensius in opera caritatis, aliarumque virtutum effunderet. Accepto cælitus responso amplas facultates haud

Q 2

expe-

expedire Eulogio ad animæ salutem, parandamque virtutum suppellectilem, perseveravit nihilominus in precibus, & quidem ea importunitate, vt Deum ipsum in sua vota traxerit. Igitur annuentæ cælo (cui patefcit omnis terra, & aperiuntur quantumuis abditi inermis eius penetralibus thesaurijs vnus aliquis Eulogio reclusus, quo reperto diues, atque opulentus effectus est: sed ita breui à solia pietate defecit, vt nemo vnus omnium eum agnosceret. Cumque iam puderet inter suos vitam agere, Constantinopolim abiit, vbi pecunia (cui cedunt omnia) ita se promouit vt cohorti imperatoriæ præficere tur. Ea porro fortunæ blandienti indulgentia, atque foelicitas, hominem in omnem vitæ libertatem

extu

extulit. Interea Daniel dum precibus de more vacat, visus est supremo aitare Iudici, ab eoque increpari ob perditum Eulogium, tum etiam ad poenas rapi. Cum spondisset reducturum se illum ad meliora,

pepercit Iudex, ipse vero Constantinopolim cōtendit ad Eulogium.

Illi narrat ut suis precibus à Deo ipsi diuitias impetrarit, se sperasse certo fore ut ijs ad maius Dei obsequium vteretur, non vero ad maiorem vitæ licentiam. Cumque virum liberius increparet, Eulogius pelli ipsum velut delirantem iubet;

tum autem vel maximè sensit Daniel, quam officerent ipsi diuitiæ; ac propterea Deum impensè rogauit, ut Eulogium ad pristinam paupertatem reduceret. Et certè vim habuerunt preces, mortuo enim Iu-

Causinus ex Baron. Anno Christi 528. sub Iustin. Imperatore.

stino Imperatore, Eulogius è Iustiani (qui successus erat in Imperium) gratiâ excidit, eâ re offensus, Hyppatio, & Pompeio, qui ad Imperium aspirabant, adhesit. Verum cum Iustinianus vtrumque cepisset, & debito affecisset supplicio, fugit Eulogius parem poenam veritus, eius bona Fisco addicta, redactus ad priorem egestatē, respuit, & salutaribus Danielis monitis res dedit.

Et hæc in Eulogio data tragico mœdia, in qua vt vltimus actus bene cesserit, primus tamen, ac secundus luculenter ostēdit diuitias perisq̃ue mores in peius mutare, & ad salutem obesse.

CAPVT II.

§. I.

*De iniuria, ac macula illata
bono nomini.*

Fama duabus potissimum vijs
impeti solet: vnâ quidem cum
verum crimen è latebris eruitur, &
in lucem solemq̃ue profertur: al-
terâ cum etiam falsum affingitur,
& inuritur nota bono nomini, tam
in hoc quam in illo suum est sce-
lus. Vriam ferro, mortiq̃; obuium
dederat Dauid, à venere in vulnus,
cædemq̃ue præceps: latebat Israe-
lem illud regis facinus, cum illud
tumultuati plebecule aperuit Ioab:
veritus ne militaris turma Vriæ ca-
su concitata in se inuidiam, ma-
numq̃ue retorqueret; tum enim

Q 4

regias

248 DE FORTITVDINE
regias litteras reserauit, & in aper-
tum extulit, quod malè tectum e-
rat scelus. Ea iniuria regio capiti il-
lata adeo perculit etiã mitissimum
Dauidis animum, vt iam è corpore
abituens Salomoni filio suo præ-
ceperit, vt è medio tolleretur Ioab.
Hæ morientis fuere voces.

*L. 3. Reg.
2. v. 5. &
6.* Tu nosti quæ fecerit mihi Ioab fi-
lius Saruie: non deduces canitiem
eius pacificè ad inferos.

Hæc inter vltima præcepta, &
testamēti tabulas: Sed quî, inquit,
in Dauidem peccauit Ioab? Res-
pondet Rabbi Salomon apud Ly-
ranum, per hoc intelligitur malum,
quod fecit Ioab contra personam
Dauid, ostendēdo alijs litteras, quas
sibi secretè miserat Dauid de mor-
te Vrie. Ita nimirum regia noxa è
tenebris per nefas eruta, ipsâ Ioabi
morte

morte fuit expianda; quia vt discretè S. Chryfologus.

Deuoti militis est regis sui tacere fugam, referre constantiam; virtutes loqui, timores filere: prædicare victorias, aperire fortia, infirma reticere.

Quod si ingens piaculum illud, delictum re etiam ipsâ patratum, sed tamen latens prodidisse: quanto maius erit virum honestum, & sui nominis amâtem culpâ aliquâ grauiore, falsâq; notasse: certè tantum erit, vt qui illud admiserit, cõtra omnia Dei præcepta dicatur incurrisse, quia contra caritatem, in quâ est legis plenitudo.

Et fanè iactura boni nominis, natusque ex eâ doloris sensus tantus est, vt multi etiam ad laqueum Homil. 15. in Matth. conuolarint fame opprobria non fe-

Q s rentes;

rentes ; ita disertis verbis, & ore aureo Chrysoftomus : quod etsi flagitio non careat, liquido tamen ostendit, quanta apud magnas mentes sit honoris, ac famæ æstimationo : in quâ quia hoc quo viuimus æuo, quàm maximè patitur iustus, mei muneris erit tanto malo proferre remedium.

Petetur illud à Christo, qui positus olim in signum, cui contradiceretur. Vt in album collimate solet sagittarius, & sua tela profundius immittere, atque infigere : sic petulantes, & insanæ Iudæorum linguæ, ceu maligna, ac venenata iacula Christum impetebant, eiusque nomen in circulis vellicabant : ea porro iacula ausu temerario contorta, validisque lacertis cuibrata, insignis patientiæ sinu, ceu albo excipiebat

cipiebat Seruator optimus, serua-
batque tenacius opportuno in si-
lento.

Christianus es, cui pagella hæc
scribitur, tuum illud nomen lege,
& eo condignam vitam exige; vt-
que tibi medijs in conuitijs non e-
labatur patientia, Saluatorẽ tuum
sedulus intuere.

Si quos olim venenato dente *Numero,*
læferat serpens; vel vno oculorum *c. 12.*
coniectu in serpentem æneum, il-
lico sanabantur: miraculo illud,
Diuinæq; potentiaẽ ascribi debuit;
hoc quod subijciam, amor, ac ca-
ritati.

Inuidus vnus aliquis in nomen,
famamque tuam vnguem immi-
sit, & si voles, etiam dentem: læsus
es, & quasi multo vulnere saucius:
agedum oculos, & animum in cru-
cem

cem erige: & non tã à flagris, quàm
à calumnijs lacerum Christum su-
spice; & derepente seu doloris, seu
amoris prodigio omne venenum
expues: si enim de serpente æneo

Serm. 6. dixit Ambrosius. *Bonus serpens,*

in ps. 118. *qui de ore suo remedia, non venena*

fundebat! si, inquam, bonus ille
serpens: longè quàm optimus Sal-

uator, qui de ore suo medelam ef-

fundit, & gratiam; gratiam dico

singularis patientiæ, & æquitatis in

tolerandis fortiter iniurijs: vt enim

magnificè Tertullianus: *ubi Deus,*

Lib. de
patiēcia
6, 15.

ubi Iesus, ibidem & alumna eius pa-

tientia.

Testem vnum è multis produ-

cam, is crit è Dominicanâ familiâ

vir Apostolicus S. Petrus Martyr.

Ei (quæ superum, Dei que fuit in-

dulgentia) sæpius humanâ specie

se se visendas exhibebant beatę mē-
tes, Virgines inclytæ: Agnes, Ca-
tharina, Cœcilia: cum forte eas ad-
uertit religiosus vnus aliquis, & in
vrum sanctum seu errore, seu zelo
acrius exarsit: quasi virgines in clau-
stra, in intima cubiculi penetralia,
contra religiosæ vitæ morem, &
leges admisset. Illius culpæ quasi
iam reo dies indicitur, accusatur,
damnatur, & domestico carcere
mulctatur. Benignioris cæli fauo-
rem, & gratiam celat ipse demissio-
nis amans, & patientiæ studiosus
in paucis; sed cum longius iret pœ-
na; nec in lucem veniret innocen-
centia, die quadam seu doloris, seu
amoris æstu euietus animus: blan-
dè, pièque cum Crucifixo queri
cœpit, & arguere longas in illo
squallore moras, quas inter sæpius
audita

audita

auditæ illæ voces : *Domine quid feci? quid uere commerui?* cui Christus ex ipsâ Crucis imagine hæc reddidit : *Et ego Petre quid feci?* cerne pedes, & manus affixas infamili-gno; cerne hirsutum, ac cruentum à spinis caput; cerne hians, & apertum à ferro latus; cerne sparsa toto corpore vulnera; & quod ijs acerbius fuit, audi in ipso mortis aditu, extremâque luctâ, iactas in me calūnias, & scommata: *Et ego prohibe Petre quid feci?* ægrè pateris intra domesticos parietes, & religiosa claustra, de tuo nomine, famâque aliquid decedere, & ego passus sum eam lacerari in Caluarie vertice, in oculis numerosæ multitudinis, in conspectu solis huius; & ut hoc paterer ipse *quid feci?*

audibus Ea vox ita pupugit animum, tan-

Ribad.
in eius
vitâ.

tantoq; rubore suffudit, vt de que-
relis cogitasset nunquam, etsi totus
in eum facto impete iniuriosus
ruisset orbis: Tu idem cogita, &
meditare, & nulla tibi grauis appel-
let iniuria.

Sed & alterum si voles apud te
sedulus expende: quis ille qui te
maledictis appetit; cuius farinae sit
homuncio, cuius vitæ, quàm pro-
fligatæ. *Malè de te loquuntur ho-*

De re-
medijs
Fortui-
torum,

mines, inquebat Seneca, sed mali.
Moueret si de me M. Cato, si Lælius
sapiens, si alter Cato; si duo Scipio-
nes ista loquerentur. Nunc malis di-
splacere, laudari est. Non potest vl-
lam auctoritatem habere sententia,
vbi, qui damnandus est, damnat.

Malè de te loquuntur. Moueret si
iudicio hoc facerent. Nunc morbo
faciunt. Malè de te loquuntur, bene
nesciunt

256 DE FORTITVDINE
nesciunt loqui: faciunt non quod me-
reor, sed quod solent. Quibusdam e-
nim canibus sic innatum est, vt non
pro feritate, sed pro consuetudine la-
trent.

Maledicum cum cane Philoso-
phus componit: quod vt hic, ita &
ille vano, & irrito latratu auras fe-
riat.

Sit tibi in oculis sonipes, cuius
(vt bellè Poëta,)

*Quadrupet ante putrè sonitu qua-
tit vngula campum.*

Eum de viâ petat, allatret, sequa-
tur, & vrgeat de casâ rusticâ malè
laxatus canis: an ille pedem sistet?
an cursum intermitteret? an vngula
feriet? ne hoc quidem, nisi in eum
dum forte humo tollitur, sese te-
merè ingerat canis: nimirum cani-
nas iras, latratuque despicit, cursu

Martique

martique progenitum animal, ne-
scitque irasci, atque efferuescere, nisi
cum arma, cædesque nuntiarit tu-
bæ clangor, tum iubas erigit, sese in
hostem armat, & in acies effundit
præcipitem.

Sic generosus Christiani homi-
nis animus verba maledica, ceu ca-
num latratus contemnit, & libero
pede cœptum virtutis cursum per-
sequitur; nec oculo dignatur etiam
conuitijs insequentem.

§. 2.

*Pia meditatio cum acrius animum
extimulabunt iniuriæ.*

V Ir olim Religiosus in paucis
cum aures, animumque pul-
sarent petulantes linguæ, verbo-
rumque iacula, seipse cum cane
domestico componere solitus.

R

Est

Est hic genius blandi canis, quamquam ab hero, domesticisque cedatur, atque insigniter vapulet, non ideo tamen eos allatrare, nedum mordere nititur, sed potius demisso capite, abiectâque caudâ, verbera patiens tolerat, & fustem excipit. vbi autem ita malè habitus fuerit, si herus vel verbulo proritet, vel oculo, nutuue blandiri plusculum videatur, illico immemor illarum prius iniuriarum primum timidus, at reuerens ad genua vocatis adreptum etiam accurrit, aduolatque alacrius.

Ex hoc genio bruti animantis præclarum sibi patientiæ documentum assumpsit olim Religiosus frater, de quo S. Dorotheus. Erat, inquit, in Cœnobio nostro frater, antequam ego inde digrederer, quem

nunquam videbam, vel turbatum, vel afflicto in aliquo: è contra aspiciebam plurimos ex fratribus illi verbis asperis molestos, ac graues, quæ omnia animo æquissimo ferebat, & patientissimo. Mirabar, fateor, excellentiam patientiæ eius, optabamq; ex eo audire, quo modo sibi eam virtutem parasset. Cum igitur illum aliquando obuium habuissem, datâ pace, orare cœpi, ne me celaret, quid nudiustertius cogitaret, cum à multis plurimis afficeretur iniurijs, & quomodo tantum pati posset, & ferre. Respondit ille mihi simpliciter nulla circuitione, & recusatione. Ego me sic habeo ad illas iniurias, & ita eas perfero, vt ab hominibus blandi canes.

Hactenus S. Dorotheus simpli-

R 2

ci

ci quidem, sed piâ eloquentiâ; qua
 multorû huius æui impatientiam
 vellicat, ac pungit; vtpote qui simi-
 les sunt non domestico, sed siluestri
 cani, qui non nocentes tantum, sed
 & innoxios venenatâ linguâ, ceu
 latratu petunt, & calumnijs ini-
 etis, ceu dente lacerant: longè alie-
 ni ab illo fratre, qui auditis iniurijs
 quantumuis enormibus, nec loqui
 doctus, nedum carpere, & iniurias
 iniurijs compensare.

~~IN LIBRO DE FORTITVDINE~~

CAPVT III.

§. I.

*De iniuriâ quæ corpus malè afficit,
 ac lædit.*

Bene censuit, bene scripsit olim
 Seneca. *Proprium est magni-
 tudinis veræ non se sentire percipi*

*sum. Sic immanis fera ad latratum
canum lenta respexit : sic irritus in-*
genti scopulo fluctus assultat. Qui
nō irascitur, inconcussus iniuriā per-
stitit ; qui irascitur, motus est.

L. de I.
râ. c. 25.

Hæc ubi dixit altiore stylo, tum
è lycæo, tum è foro exempla pro-
ducit eorum qui inflictam corpo-
ri iniuriam æquâ mente tulerunt ;
& primùm quidem Diogenis, Phi-
losophi Stoici ; cui de irâ cum ma-
ximè differēti, adolescens proteruus
inspuit. Tulit hoc leniter, & sapien-
ter. Non quidem, inquit, irascor, sed
dubito tamen an irasci oporteat.

Ibidem.

Alia eiusdem notæ iniuria illata
& alteri ; cui cum causam agenti in
frontem mediam quantum poterat
attractâ pingui salivâ inspisset
Lentulus ille factiosus, & impo-
tens, absterfit faciem, & affirmabo,
R. 3 inquit,

Ibidem.

*inquit, omnibus Lentule falli eos, quos
te negant os habere.*

Non absimilis patientiæ documenta dedisse legitur Socrates, qui calce, à quodam percussus in publico, monitusque vt hominem repercuteret. *An, inquit, si a fortiori mihi calcem impegisset, cum repercuterem?*

Hos illi animos hausere è scholæ, foriç; disciplinâ, in quâ melioris sapientiæ placita fusius explicabantur: à quibus habet etiam Christianus, vnde petat opportuna morum documenta, stomachique restuantis remedia: quanquam quid ad profanos illos Lectorem euocet quid ad Diogenis, Socratisque læcum appello? potior erit scholæ Christi; singularis, ac diuinæ patientiæ gymnasium: in quo laureat

pro

processerunt, ij omnes, quos terra verè Christianos tulit, & cælum amavit: didicerunt illi à Christo, & iniurias equo animo pati, & ijs, qui etiam per summum nefas intulerint, condonare; quo in genere habes illustre exemplum in Ludouico XII. Rege Christianissimo; qui cum esset Aureliæ Dux, sub Carolo Octauo grauia perpeffus, etiam vincula, & carceres, cū ad sceptrum elatus est, summamque potentissimi regni dignitatem, in eâ veluti speculâ constitutus posteris omnibus ostendit, verè regium, verè Christianum esse iniurias & remittere, & obliuisci.

Vix sceptro donatus erat, regiâque potentiâ, cum ei nescio quis parasitus in aurem insusurrauit illud, iam tempus agi rem; iam in

R 4

mani-

264 DE FORTITVDINE
manibus esse hostes, quos deprimere, imò & opprimere posset vel vno nutu regiae Majestatis. Hæc ille boni Regis malus aulicus: cuius impetum, irasque præcoces, ut retunderet Rex Christianissimus, adiecit illud dignum cedro. Nequaquam ad Franciæ Regem spectare, iniurias Ducis Aurelianensis vlcisci: quibus apertè insinuauit se cum purpurâ regios animos, id est, iniuriarum penitus immemores induisse; quod ut nō verbis tantum, sed & re etiam ipsâ proderet: sibi in chartâ offerri voluit probè scriptam suorū olim hostium seriem, ac nomina, quæ ipse regio calamo cruce signauit. Vbi ex aulâ (è quâ facile quiduis effluit) in vulgus omne cessit ea rerum gestarum fama, vbi notata cruce tot nomina

in oculos venire, tum simul venit
 in animum opinio, metusque eos
 omnes, quos Rex ita designasset, in
 malam crucem euocari: hinc (vt
 semper malè credula, timidaque est
 conscientia culpæ, scelerisque rea)
 modo hi, modo illi fugam capeſſe-
 re, regnoque citatis equis excede-
 re; adeò post equitem sedet atra cu-
 ra, quam vt eximeret Rex pius: pri-
 mùm mirari cœpit præcipitè suo-
 rum fugam, dein etiam monere vt
 pedè in regno sisterent, timorem-
 que malè conceptum deponerent;
 inde petendam esse spem salutis,
 vnde ipsi desperationem induerāt.
 Sic enim regiâ mente, voceque.
 Ego quidem, cum ad meorum o-
 lim inimicorum nomina crucem
 adieci, in eâ mihi recolendam pu-
 tauî, quâ orbi alias perituro lectio-

Caussin
 tom. 4.

R 5

nem

nē fecit Seruator optimus, & quidem è ligno, ceu cathedrâ altiore magnus omnino magister: docuit ille & voce, & vulnere parcendum etiam ijs, qui in te quondam iniurij: etsi corpus illi, vitamque per summum nefas impetijissent: dixit enim inter extrema verba, vltimisque spiritus. *Pater ignosce illis, qui nesciunt quid faciunt.*

Hæc verba Seruatoris mei, ceu monita, ceu præcepta in cruce, velut explicatâ, patentique tabellâ, etiamnum lego; & ijs cæli typis obnubilo, imò & oblitero illas mihi quondam iniurias, inimicâque meo capiti nomina.

Et ista quidem in purpurâ, sceptroque Ludouicus, grauissimas alias affectus iniurijs: tu verò pusillus homuncio è puluere, lutoque male

malè fictus, si vel vngue tantum lacereris, vindictam spiras, & vltrices flammaram globos euomis: non sic arduæ mentes, non sic Saluator tuus; cuius verba tibi & oracula, & præcepta: ea paucis excipe ore, calamoque Augustini. *Iudex dixit occide, & tortor occidit, & tu quando dicis, occide inimicum meum, te facis iudicem, & Deum quæris esse tortorem.*

Respondet tibi Deus, non ero prorsus, non ero peccatoris tortor, sed liberator: quia nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat: nam si voluntatem tuam haberem, te prius occiderẽ, antequam inuitatus venires: nonne me blasphemasti? nonne me in tuis malis operibus irritasti? nonne nomen meũ de terrâ delere voluisti? nonne

ne

ne me in præceptis, vel in seruis
meis contempsisti? si tunc te occi-
dissem inimicum, quem modo fa-
ceres amicum? quid ergo malè o-
rando doces me, quod non feci in
te? imò ergo dicit tibi Deus, doceã
te vt imiteris me, in cruce pendens
dixi: *Pater ignosce illis, quia nesciunt*

August.
Serm. 4.
de S.
Stepha-
no.

quid faciunt; docui hoc milites
meos, docui Martyres, prius esto &
tu Martyr meus, tyro meus aduer-
sus Diabolum, aliter inuictè nullo
modo pugnabis, nisi *pro tuis inimi-
cis oraueris.*

Hæc tibi, hæc Christianis omni-
bus Saluator, quem vtinam si mi-
nus è cruce loquentem, at saltem è
cælo tonantem audires, disceresque,
quæ tibi mens, quodue consilium
in iniurijs esse debeat.

Audiuit certè, probeque didicit
magi-

magistro Seruatore S. Elisabetha
 Hungariæ Regis filia, Deum ipsa ^{In eius}
 orauit olim, imò & exorauit, vt ^{vitâ.}
 quoslibet, qui eam iniuriâ aliquâ
 affecissent, afficeret ipse singulari
 quodam beneficio. Ea indulgentis
 animæ oratio in cælos euasit, supe-
 ros omnes rapuit, insolito miracu-
 lo caritatis; ipsique supremo Nu-
 mini, ita fuit accepta, vt nunquam
 alias gratius orasse se, Diuino ora-
 culo didicerit. Eius quoque senten-
 tiæ, ac genij fuit magnus ille mo-
 rum magister, qui suo discipulo ^{In vitis}
 perfectionis studioso hanc ad eam ^{Patrum}
 viam aperuit; deditq; illud in man-
 datis.

Primum vt toto triennio alio-
 rum onera ferret, deinde vt altero
 triennio etiã condignum pretium
 ijs penderet, à quibus seu conuitio,
 seu

seu iniuriâ quâpiam fuisset laceſſi-
 tus: fecit ille imperata omnino fi-
 deliter: & Athenas ductus cum in
 primo vr̄bis illius ingreſſu, conui-
 tijs petulanter vr̄geretur: ſubridere
 cœpit; & amicè blandiri: vt riſum,
 & blanditias aduertit conuitiator,
 tantâ rei nouitate attonitus, odium
 & ſcommata in amorem, & admi-
 rationem vertit, ex eoq; amicè que-
 ſiuit, cur à ſe impetitus, & ſannis ex-
 ploſus rideret, cui diſcipulus: *non
 rideã*, inquit, *qui tribus annis mer-
 cedem ſolui iis, qui me maledictis o-
 nerarunt, & hodie gratis id abs te
 patior*; Attonito ſimilis Athenien-
 ſis: ingreſſere, inquit, vr̄bem, dignus
 es cœtu ſapientum. Nimirum eam
 ſapientiam, nunquam quantumuis
 doctæ viderant Athenæ: debuit il-
 la peti ex eremo, piaque ſolitudi-
 ne;

ne; vti & hæc cuius meminit Ab-
bas Pimenius in vitis Patrum.

Lib. 5.
c. 16.

Erat inter Monachos illius ævi
insignis patientiæ vir, cui nomen
Decimus: is post conuitia, etiam a-
lapâ cæsus à Philosopho, mox aliã
maxillam ei præbuit: quod vt vi-
dit ille, captus altiore Philosophiã,
& potenti tantæ virtutis illecebrâ,
ad eius genua accidens exclamauit.
*Verè Monachus es, addiderim & e-
go, verè Christianus, quem esse te
velim, amice Lector, non nomine
tantum, sed & re etiam ipsâ: eris
autem si vel in hoc vno bonus
Christi fueris æmulator.*

§. 2.

§. 2.

*Exempla singularis patientia in
iniuriâ corpori illatâ.*

Plin. l.

11. c. 37.

Scitè pronuntiauit Philosophus vnus aliquis, vt speculum oculus est artis, ita oculus speculum est naturæ: quod adeo homini est curæ, vt nihil magis, ideoque si afficiatur malè, si læditur, si eruat, necesse est totum hominem pessimè affici, lædi, ac propè perire. Ex quo id primum confici velim magnæ esse patientiæ oculorum iacturam æquo animo ferre; maioris autem etiam grato, quod illustri exemplo probat Petrus Damianus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

Producit ille in theatrum hominem, cui nescio quis sicarius summa feritate vtrumq; oculum erue-

rat,

rat, damnaratque miserabili cœcitate, à quâ in Monasterium sese recepit, vt qua liceret, & sibi vacaret, atque etiam alijs pluribus officijs Christianæ caritatis, quantum scilicet pateretur oculorum, & lucis, ac solis huius aspectabilis orbitas.

Contigit autem non ita multo post; vt ille ipse sicarius graui, ac diuturno oppressus morbo in Monasterium deferretur, eo quippe hominem redegerat egestas, & miseranda morbi vis, atque impotentia, à qua dum in lectulo iacens deportatur, secum ipse cogitare cœpit, non dico quibus oculis, sed quo animo eum ferret, quo irarum æstu, quo impete iustæ vltionis ille ipse, quem suo vitio, atque immanitate cœcum fecerat. Nimirum expectabat omnino, verebaturq;

S

turq;

turq; ne in frontē, in oculos inuolaret, pœnâq; damnaret talionis. Et certē eam expetebāt per summum scelus erepti oculi, & gratissima lucis huius vsura crudeli facinore sublata. Secus tamen accidit; stupendo profecto Christianæ caritatis prodigio. Vbi enim hostem suum adesse sensit cœcus ille noster, vt inter egrorum iaceret agmina propè ab omnibus depositus, rogauit impensissimè Cœnobij Præsidentem, vt sibi liceret ei quale posset obsequium deferre; nihil eo sibi gratius. Hic primum herere, ac mirari Præsides, deinde mirum quantum extollere ex inuicem viri caritatem, denique & ei benignius annuere. Hic voti sui compos cœcus noster se se prope alijs omnibus expedire, vt huic vni vacaret quam maximè, seque

sequē totum impenderet; & certē omnes omnino corporis partes impendit: (si modo oculos excipias) si enim pro ægro curando huc illucque discurrendum erat, ibat ille, redibatque sedulus; si ministrandum, si potus, si cibus porrigendus, & hunc, & illum porrigebat officiosa manus, & longē magis officiosus animus ad spectantium stuporem, & tantæ pietatis miraculum. Nimirum illi cœcomens erat bene oculata, & perspicax animus, cui lucem altiore adiderat omnimoda iniuriarum obliuio, longaque patientia: quam etiam in simili casu, dissimili tamen fortunâ suspexit, & amauit Bohemia.

Mortuo Boleslao tertio sceptrū tenuit Hiaronirius multū ab exteris,

teris, domesticisq̄ue exagitatus, maximè vero ab Vdalrico fratre, què tamen ipse per summã indulgentiam etiam Regni consortem admiserat. Verum vt insolens, & indomita semper ambitio, Vdalricus Hiaromirium dominationis amplissimæ socium nõ tulit, sed etiam per summum nefas oculis orbatum, Regnoq̄; exutum in ordinem redegit; vt sceptrum regeret ipse solus: & vero rexit aliquamdiu, nec omnino infœliciter, tandemq̄; & regno, & fatis cessit, relicto etiam tũ Hiaromirio superstite: qui quo in fratrem esset animo, qua pietate, qua iniuriarum obliuione fatis ostendit: Nullum certe habuit Bohemia spectaculum illustrius Hiaromirij in fratrem emortuum caritate. Stetit enim hic exoculatus ad

Julius
Solimanus
in
elogijs
Reg.
Bohem.

fratris cadauer, manu inque in illud cum extendisset. Sine, inquit, Vdalrice vltimum te tangam, quem videre non possum. Nunquã grauior oculorum iactura mihi visa est, quam hodie. Tuum funus exequor sine lacrymis. Quanquam, qui per oculos nequit erumpere, grauius cor premit dolor: carior mihi oculis fuisti, dum oculos habui, postquam voluisti me oculis carere, corde cariorẽ habere cœpi. Tuum imperium oculos mihi eripuit, corde me sponte meã priuauit, volui esse tuum, ac æternum hoc volo. Post hæc in extincti fratris amplexum corruit, attonitis eo amoris spectaculo, ac propè miraculo cœteris. Et iure sane meritissimo, quo enim humana ingenia studiosius ambire solent imperia, eo impotentius

278 DE FORTITVDINE
potentius ab ijs seu dolo, seu etiam
vi detrudi se patiuntur.

Spectasti, beneuole Lector, quid
in purpurâ, sceproque potuerit in-
signis quædam iniuriarum toleran-
tia, attende quid in infulâ, pedoque
pastorali.

Venustanus Toscaniæ guberna-
tor, sub Imperatore Maximiano,
homo ad omnem immanitatem
natus, S. Sabino Episcopo ambas-
manus iusserat amputari, duosque
eius Diaconos Exuperantium, &
Marcellum è medio per extrema
supplicia tolli, cum ecce Deus qui
sceleri puniendo semper inuigilat,
impio Præsidi acerrimum oculis
malum immittit, foedamque luem
à quâ illi extingui penitus, ac perire.
Eâ doctus, victusque tyrannus
ad Sanctum Episcopum, velut ad
asylum

asylum recurrit, ut tanto malo re-
 medium faciat. Annuit pius Præsul
 Sabinus, nec iam manus, sed trun-
 ca brachia, & adhuc recenti cruore
 manantia in cælum tollit, Deum-
 que orat, atque exorat, suisque pre-
 cibus Venustano oculos reddit, a-
 missamque lucis huius vsuram, nec
 eam tantum, sed & à superis fidem
 ei impetrat, ceu bonæ mentis ocu-
 lum. Ita viri sancti non solum æ-
 quâ mente illatas corpori iniurias
 tolerare norunt, sed & malefacta
 benefactis compensare, exemplo
 scilicet Seruatoris, qui, ut ait Diuus
 Ambrosius, *Cum posset ulscisci, ma-*
luit immolari, cum fulmina de cæ-
 lo, superisque sedibus deuocare, &
 in scelerata capita iacere, maluit il-
 lud emittere in pacatiores auras, æ-
 ternique Patris aures. *Pater dimitte*

Sur. 30.
 Decēb.
 Baron.
 anno.
 Christi.
 301.

1. Ep. 2.

S 4

illis,

illis, quia nesciunt quid faciunt. O
 verbum magnæ dulcedinis, magni
 amoris, & inenarrabilis caritatis:
 exclamat D. Ambrosius.

Serm.
 de Pas-
 sione.

§. 3.

*De iniuria quæ vitam nostram, aut
 propinquorum impetit.*

CVM animanti vitâ nihil ferè
 carius sit, eam omni ope, ni-
 suque tuetur, vbi aduersa vis incur-
 rerit: quod si hanc nec eludere pos-
 sit, nec frangere: pro summâ habet
 iniuriâ ei cedere, & (quod longè
 carissimum est) spiritum dare, ac-
 que per nefas effundere. Et quia in
 eo impetitur, summeque læditur
 ius, quod cuique relictum est ad
 vitam omni ratione, modoque con-
 seruandam: fit vt eam quoque in-
 iuriâ remittere, eximię cuiusdam,
 ac

ac singularis sit caritatis, quæ non tantum elucet vbi proprium iugulum petitur: verum etiam vbi eorum quos nobis natura, sanguisq; iunxit, & eo quidem vehementius, quo vinculum illud fuerit arctius, maiorq; necessitudo; qualis est filij ad parentem: ea quippe tanta habetur, vt qui parenti filium sustulerit; vnaque etiam parentem sustulisse videatur; nec immerito, quia, vt ait Philosophus; filius aliquid est parentis, & delibata quædam, imò & detracta eius portio: vnde fit vt sicuti filio vim inferre, summæ in parentem sit iniuriæ: ita eam remittere incredibilis cuiusdã, miræque caritatis: quo in genere tibi beneuole Lector, illustre exemplum dabo, & quidem in fœminâ, in matre, quæ in donandâ

S 5

illâ

282 DE FORTITVDINE
illâ iniuriâ & sexu, & seipsâ quodammodo superior euasit.

Ioânes
Oforius
Con in
fer. 6.
post Ci-
neres.

Vidua erat, cui vnicus filius, a deo que in oculis, & amoribus, vtpote spes vna sui generis, familie columen, baculus senectutis, verbo que vt absoluum, bonæ matris corculum, ac delicia. Ei ad insignes naturæ dotes, ingenij vim, ac solertiam, formæ quoque decor, & elegantia accesserat: imo & auitus sanguis, maiorum imagines, ac stemmata, indeque apud suos partum nomen atque æstimatio. Verum vt is esset, è medio per summum scelus, sustulit nescio quis terræ filius, & sese ab illo facinore abscondit, ne tantum nefas aut cœlum aspiceret, aut quisquis obuius esset mortalium. Patrati sceleris rumor, primum ad matris aures appellit, dein

dein in oculos venit ipsum quoq;
exanime filij cadauer. Expectari hic
potuit, imo & debuit ingens qui-
dam naturæ sensus, lacrymæ, que-
stus, lamenta, & foeminei eiulatus:
nec illi modo, sed & querele graues,
iræ, iusta indignatio, & vindictæ
appetentia: quæ ab æquo Iudice
expectari debuit, imo vrgeri, atque
extorqueri: nihil tamen horum in
matre visum: dedit illa plusculum
naturæ, iustoque dolori, quod reli-
quum fuit, caritati, & Christianæ
indulgentiæ: cum enim subintel-
lexisset sicarium illū, ac filijcidam
à prætore ad vincula, ad mortem
queri; hoc apud semetipsam consi-
lium inijt ab amore, ac miseratione
quesitum: equum filij exanimis
illico submitit, bursamque multo
auro grauem, candidè monens, at-
que

que opportunè, vt sibi, ac salutis suæ fugâ consuleret, præsentique periculo eriperet. Hoc pietatis, hoc matris facinus fuit, quod ibit in posteros, & sæcula : imò in cælos ipsos ex tunc euasit, & pro filio, qui in ignibus expiatorijs erat, Deum exorauit : eo quippe loci, ac temporis conclaue suum ingressa pia mater, Deo ter optimo, ter maximo suppliciter accidit, & pro filij salute non sine magno pietatis æstu, & lacrymarum imbre instare cœpit : nec oranti cælum defuit, & benigna Dei miseratio, mox enim in carissimæ parentis cōspectum datus est filius clarâ circumfusus luce, sicque matrem affatus.

Est quod tibi, Domina mater, gratias habeam immortales, ex vero enim mihi duplici nomine mater

ter es, tum quia terris olim me genuisti, tum quia modo etiam cælis: dum enim inimico, & tuo, & meo veniam dedisti, mihi cælum aperuisti, quod ad annos quamplurimos occlusum erat, erant illi in penis, & ignibus exigendi, modo in gloriâ, ac beatitate; gaude igitur mater, & virtute tua, & bono meo. Vix hæc ediderat, cum in amantissimæ parentis conspectu sublimis in cælum abire visus. Tantum apud superos potuit indulgentia, atque iniuriarum remissio.

§. 4.

Afferuntur ex Senecâ nonnullæ similitudines quæ solatio sint, cum viderimus viros bonos pro virtute, Deoque pati.

CVM videris bonos viros, acceptosque Deo laborare, sudare, Libro. Quare bonis viris mala accidat.

dare, per arduum ascendere; cogita illos veluti filios disciplinâ tristiori contineri, nimirum patrium habet Deus aduersus bonos animâ, & illos fortius amat, ideoque hic etiam, cælo teste, operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitantur, vt verum colligant robur, languet per inertiam saginata, nec laborant tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt.

Filius
est.

Cogita Athletas esse, his primæ virium cura est, cum fortissimis quibusq; configere, & exigere ab his per quos certamini præparantur, vt totis contra ipsos viribus vrantur, cedi se, vexarique patiuntur. Etsi non inueniunt singulos pares, pluribus simul obijciuntur, & hoc eo tantum vt exerceatur virtus, que sine aduersario marcet. Idem profecto

Athleta

ordi
vici
alac
eliv
stem
abloss

fecto viris bonis est faciendum, nec dura, nec difficilia reformidare debent, neque si accidant, de fato queri, sed potius boni consulere, & in bonum vertere: multum enim interest non quid facias, sed quem admodum.

Expende si lubet, & alterum mi- ^{Miles.} litem esse, quisquis est bonus, proinde non aliter gaudere debet aduersis rebus, quam fortes milites bellis. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori casu sanguinem ostentant, nec amant integri reuerti ex acie, sed faucij. Ita viri probi virtus, quia periculi est auida, gaudet sibi præberi materiam aliquid animosè, fortiterq; faciendi: quia vt gubernator in tempestate, in acie miles intelligitur, sic ille in aduersis: de quo dicamus & istud,

istud, non militem tantum, sed & ducem esse, ac sicut in castris periculosa fortissimis imperantur: sic & bonis eadem ab imperatore Deo imponuntur: proindeque quemadmodum in acie nemo eorum qui exeunt, & hostium aut insidijs, aut aperto marti obijciuntur, Imperatori dicet: *malè de me meruit, sed bene iudicauit*; sic dicet & iustus omnis qui à cælo iubetur pati: *bene de me meruit, bene iudicauit. Dignus visus sum Deo, in quo scilicet experiretur quantum humana natura posset pati.*

Quod si à militiâ abire velis, pedemque tollere à Martio puluere, dic age virum bonum Dei discipulum esse, in quo proinde eam sequatur rationem, quam in discipulis præceptores; qui plus operæ ab

Disci-
pulus.

buli

ab his exigunt, in quibus certior spes est; quia labor optimos citat. Sic altioris disciplinæ arbiter Deus, durè generosos spiritus tentat, quia nunquã virtutis molle documentum est. Ideoque si nos in eâ palæstrâ verberat, & lacerat fortuna, patiamur. Non est sæuitia, certamen est: in quo præbendi fortunæ sumus, vt contra ipsam ab ipsâ duremur.

Quod si à comparatione, quæ ab animatis petitur, ad ea gradum facere velis, quæ sensus, & animæ sunt expertia, & in ijs viri fortis, ac iusti symbolum aliquod agnosces.

Spectasti aliquando non sine magno voluptatis sensu, blandâq; oculorum illecebrâ proceram arborem in edito sitam: non est illa Arbor. solida, nec fortis, nisi in eam ventus

T incur-

incurfarit, ipsa enim vexatione cōstringitur, & radices figit: fragiles sunt, quæ in apricâ valle creuerunt.

Est homo Philosopho iudice arbor inuersa, est iustus velut arbor alta, plantata in vertice prærupti montis: vt esse possit interritus, necessum est vt multum inter formidolosa versetur, & æquo animo ferat, quæ non sint mala, nisi malè sustinenti; non esse autem omnino mala probat illa similitudo, quæ à palea & auro duci consuevit.

Aurum.

Malus palea, bonus aurum est, ignis tribulatio: illa ab igne patitur, abit in cineres, & naturam mutat; hoc à flammâ purius euadit, & adulterinam materiam exuit. Ita iustus omnis quæ alias vitio fuissent, à vexatione deponit; quia vt ignis aurum probat, sic miseria viros fortes,

tes, à quâ tamen ne miseros putes
illud tibi persuade, Deum huius v-
niuersi Dominum, atque archite-
ctorem cum hominibus fecisse,
quod cum lignis, aut parietibus
plerumque artifices nostri. Hi vt
oculis illudant improbè parietes
habent extrinsecus cultos, intrinse-
cus autem sordidos: ligna, & tra-
bes ostentant extrinsecus ornatas,
ac splendidas, intus autem exesas,
& cariem, vitiumque passas.

Sic Deus improbis bona falsa
circumdat, & animos inanes velut
longo, fallaciq; somnio ludit. Au-
ro illos argento, & ebore ornat: in-
tus boni nihil est. Isti quos pro fœ-
licibus aspiciunt nimium creduli
mortales, si non quâ occurrunt,
sed qua latent videantur, miseri sunt,
sordidi, turpes, ad similitudinem

T 2

parie-

292 DE FORTITVDINE
parietum suorum extrinsecus culti.
Non est illa solida, & sincera fœli-
citas: crusta est, & quidem tenuis.
Dum illis licet stare, nitent, & im-
ponunt, cum autem aliquid inci-
derit, quod disturbet, ac detegat,
tunc apparet quantum altæ, ac ve-
ræ fœditatis alienus splendor ab-
sconderit. Non sic cum probis agi
voluit rerū omnium author Deus.
Omnia mala ab illis remouit, sce-
lera, & flagitia, & cogitationes im-
probas, & auida consilia, & libidi-
nem cœcam: bona vero certa de-
dit, & mansura. Quæ scilicet hone-
statis, quæ virtutis sunt. Non ful-
gēt illi extrinsecus, bona sua intrin-
secus obuersa habent; & iure sane
meritissimo, altus enim animus,
cælo, Deo quæ natus exteriora con-
temnit, spectaculo sui lætus, vt
qui intus omne posuit bonum.

Hoc si assequaris, mi Lector, si tuâ te virtute semper inuoluas, nullus vnquam euoluet, nedum euer- tet casus.

§. 5.

Nonnulla subsidia ad patientem qua- rumuis iniuriarum possessionem.

IN ijs, quæ nos circumueniunt, vrgentq; malis, plerumque plus damus opinioni, quã veritati: quod in conuitijs, atque iniurijs maxime euenire solet: in his sæpe plus opi- nione premimur, quàm vero dâno.

Plura sunt, inquit Seneca, quæ Ep. 13. nos terrent, quam quæ premant, & sæpius opinione, quam re laboramus. Cito accedimus opinioni. Non coar- guimus illa, quæ nos in metum ad- ducunt, nec excutimus, sed trepida- mus. Nescio quomodo magis vana

T 3

per-

perturbant. Vera enim modū suū habent. Hęc Seneca, cuius pronunciatum maximè verum est in iniurijs, quæ bonam famā impetunt.

In eam hostis tuus incurrit verbulo, & linguâ petulante, credis ab eâ multum tibi inferri damni: opinaris sinistram de te alijs ingere opinionem: & tamen ex vero calumnijs illis, quæ in te iactantur, magis vapulant inanes auræ, quam aures mortaliū: quia plerumque illis nulla habetur fides: ideoque tollendus etiam metus, qui in te ex ijs suboritur; quia, vt pulchrè Seneca. *Nulli tam perniciosi, tam irrevocabiles, quàm lymphatici metus sunt. Cæteri enim sine ratione, hi sine mente sunt, & ij quandoque & sapius sunt, qui è conuitijs malè fufis in nobis enasci solent.*

Verūm

Verum concedamus illud; ab illis verum damnum importari, & lacerari apud alios famam nostram; quantum istud est malum? tantum, quantum à nebulâ soli obiectâ.

Solis vis, & lux integra est, etiã inter opposita; & quamvis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius aspectu, tamen in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nebula luxit, nõ est sereno minor, nec tardior quidem. quoniam multum interest, utrum aliquid obstet tantum, an impediatur. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt, non est minor, sed minus fulget. Nobis forsitan non æquè apparet, ac nitet; sibi eadem est, & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. Hoc itaque aduersus virtutem possunt calamitates, & damna, & iniuria, quod ad-

T 4 uersus

uersus solem potest nebula. Sicuti ergo si soli sua mens esset, ac intelligentia, non excandesceret, non efferreretur impete quodam, æstuque passionum, ex eo quod aspiceret oppositam sibi, suisque radijs nebula: quia ab illâ nihil omnino sibi decedere sentiret: sed potius alijs, & huic mundo sublunari: Ita fortis, & generosus animus, cum audit sibi, suoque nomini, ac bonæ famæ, cœli soli obtrudi dēsam aliquā calumniæ nubem; ne ferat iniquius, ne exardescat irâ, ne in œrore se conficiat, satis conscius innocentia suæ, ac virtutis, cui sua lux illibata, suus semper est splendor, & idem omnino cursus ad æternitatem.

Quod sum, inquebat olim Nazianzenus, hoc maneo, siue maledictis afficiar, siue laudibus in cœlum ferar.

*ferar. Quantum petram spuma, aut
pinum auræ, tantum me linguæ cir-* Orat. 14. n. 15.
cum fluunt.

A duobus similitudinem petit
inconcussæ mentis. Primum qui-
dem à spumâ, & salivâ æstuantis
oceanî, quæ cum sit auræ, vento-
rumque ludibrium, huc, illucque
iactatur, & si ad petram appellit, il-
lico frangitur, ac dissilit.

Alterum propositæ similitudi-
nis caput est à pino, aliaue arbore
procerâ, quæ cum altis hæreat in-
fixa radicibus tumultuâtes ventos,
& nequicquam frementes Euros
iminota ridet.

Sic iustus omnis, ceu petra in
medio huius vitæ oceano, auras
temnit, & æstus, spumamque, si
forte incurrerit, dispergit, sua sem-
per mole constans: ceu etiam alta

T S pinus,

pinus, quæ ventis concuti potest,
 excuti omnino, aut suâ sede locouē
 moueri non potest; quia aduersus
 hæc omnia suâ semper virtute se
 inuoluit, ac tuetur. Secum enim lo-
 quitur, secum agit, tacitisque cogi-
 tationibus se reuocat ad forum ani-
 mi, proponitq; illud ipsum, quod
 olim sibi D. Nazianzenus. In *mir-*

Supra.

rijs quicquam, inquebat, huiusmo-
di mecum ipse commentor. Si falsa
obijcit accusator, non me magis
quam eum, qui loquitur, hæc oratio
tangit. Si vera, me ipsum potius
quam eum, qui loquitur, accusabo. A
me enim illa sermonis materia sub-
ministratur, non autem illius sermo
causa est, quod talis sim.

Eodem omnino clypeo se regit
 Simplicius aduersus emissâ verbo-
 rum iacula; neque vero, inquit, rem
 grauem

graue[m] esse contumeliam inde constat. Aut enim verum est crimen, aut In En-
chi. c.
37. falsum: si verum cur molestè ferimus Veritatem? cur facere non piget, audire piget? si falsum, ille, qui mentitur læditur.

Iisdem etiam rationibus se ipsum, suosque asseclas erexit Seneca.

Ad contumelias, inquit, despicendas, non sapienti opus est viro, sed tantum conspicienti, qui sibi possit dicere. Vtrum merito ista mihi accidunt, an immerito? si merito non est contumelia, Iudicium est. Si immerito, illi, qui iniuriam facit, erubescendum.

Hæc eleganter, & neruose Seneca, in libro ad Serenum, quod in sapientem non cadit iniuria, è quo tibi pauca reddam, beneuole Lector, atque ex eius scriptis velut areolis
floscu-

302 DE FORTITVDINE
flosculos legam, & apis matina
more, modoque mella libabo.

§. 6.

In Sapientem non cadit iniuria.

SToici virilem ingressi viam,
pronuntiarunt sapientem terris
eripi oportere, & velut in editum
verticem educi, adeoque extra om-
nem teli iactum surgere, & supra
fortunam eminere.

Atque cum fuisse volunt Cato-
nem, qui cum ambitu congressus
multiformi malo, & cum potenti-
ae immensa cupiditate, quam to-
tus orbis in tres diuisus satiare non
poterat, aduersus vitia ciuitatis de-
generantis, & pessum suam molesti-
dentis, stetit solus, & cadentem Rem
publicam, quantum modo vna
manu retrahi poterat, retinuit, do-

donec vel abreptus, vel abstractus
comitem se diu sustentatae ruinae
dedit: simulque extincta sunt, quae
nefas erat diuidi. Neque enim Cato
post libertatem vixit, nec libertas
post Catonem.

Hæc vbi de Catone magnificè
extulit Seneca, tū hanc infert quæ-
stionem. *Huic tu putas iniuriam
fieri à populo potuisse, quod aut præ-
turam illi detraxit, aut togam, quod
sacrum illud caput purgamentis oris
asperfit?*

Vbi hæc contumeliarum gene-
ra iactauit, tum audacter, & liberè
profert aduersus ea tutum omnino
Catonem, tutum sapientem fuisse,
nec vllâ affici, aut iniuriâ, aut con-
tumeliâ potuisse; quod vt euincat,
statuit illud quod extra controuer-
siam est; non de fore qui sapientem
laceffat,

laceſſat, qui tentet; non tamen ideo
 qui lædat, qui vulneret: eſt enim
inuulnerabile, non quod feritur, ſed
quod non læditur, atque ex hac notâ
 ſapientem exhibet Seneca; aliâ
 que aliâ ad rem appoſitâ ſimilitu-
 dine.

Vna petitur ab adamante, qui nec
 ſecari, nec cædi, nec teri poteſt, ſed
 incurrentia vltro retundit.

Altera ducitur ab ijs, quæ non
 poſſunt igne conſumi: ſed flam-
 mâ circumfuſâ rigorem ſuum, ha-
 bitumque conſeruant.

Alia à ſcopulis, qui in altum pro-
 iecti, mare frangunt, nec vlla ſæui-
 tiæ veſtigia tot verberati ſæculis o-
 ſtentant.

Poſtrema à cælo, & ſole, qui tan-
 to interuallo à contactu inferio-
 rû abductus eſt; vt nulla vis noxia
 vſque

vsque ad illum vires suas proferat;
 & quamuis tela, aut neruo, aut tor-
 mentis alijs in altum exprimantur,
 citra cælum tamen flectuntur. Vn-
 de stolidus fuit ille Rex, qui cum
 multitudine telorum diem obscu-
 rasset, credidit aliquam sagittam in
 solem incidere potuisse. Sic & stul-
 tus, & amens erit ille, qui maledico
 ore, ceu sagittâ tangi posse sapien-
 tem credet: citra illum vis omnis,
 impetus omnis deficiet.

Rationes si quæras, eæ aliæ sunt,
 atque aliæ. Vna quidem, quia etsi
 iniuria propositum hoc habeat, ali-
 quem malo afficere, malo tamen
 sapientia non relinquit locum. V-
 num enim malum ei est turpitu-
 do; quæ introire eo, vbi iam virtus,
 honestumque est, non potest.

Altera ratio, cur ad sapientem
 non

non perueniat iniuria, est, quia omnis iniuria diminutio eius est, in quem incurrit. Nec potest aliquis iniuriam accipere sine aliquo detrimento vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos positarum. Sapiens autem nihil perdere potest, omnia enim in se reposuit, nihil fortunæ credit: bona sua in solido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget.

Ex quibus id conficit Seneca, sapientem nihil perdere, quod perire sensurus sit. Vnius enim in possessione virtutis est, ex quâ depelli nunquam potest: cæteris precario utitur.

Et quia dictum illud audax, ne parum fidei habeat, sponsores dicit Stiliponem Philosophum, quem ego etiam Christianis velim esse pro-

propositum. Rogatus ille à Demetrio, qui Megaram cœperat, num quid perdidisset? nihil, inquit, omnia namque mea mecum sunt. Atqui & patrimonium eius in prædam cesserat, & filias rapuerat hostis, & patriam. At ille victoriam illi excussit, & se vrbe captâ non inuictum tatum, sed indemnem esse testatus est. Habebat enim secum vera bona, in quæ non est manus iniectio. At ea quæ dissipata, & direpta ferebantur, non iudicabat sua, sed aduentitia, & nutum fortunæ sequentia. Erat ille sensus Philosophi; ideo insultanti hosti, quod omnia rapuisset, non minus liberè, quam verè respondit.

Solus ego hostilia circa me omnia videns, tamen integrum, incolumemque esse censum meum pro-

V fiteor;

fiteor; teneo, habeo, quidquid me
habui. Non est, quod me victum,
victorem te credas. Vicit fortuna
tua fortunam meam. Caducailla,
& dominum mutantia, vbi sunt
nescio. Quod ad res meas pertinet,
mecum sunt, mecum erunt. Per-
diderunt isti diuites patrimonia, li-
bidinosi amores suos, & magno
pudoris impendio dilecta scorta:
ambitiosi curiam, & forum, & lo-
ca exercendis in publico vitijs de-
stinata: fœneratores perdiderunt
tabellas suas, quibus auaritia falso
læta, diuitias imaginatur. Ego qui-
dem omnia integra, illibataque ha-
beo. Illis eripuit fortuna quod de-
dit, mihi virtutem, quam non de-
dit, nō detraxit: eâ saluâ etiam salua
omnia, quæ mea duco. Hæc ille
Philosophicè, hoc est omnino ve-
rè, & sapienter.

Et hoc primum argumentum quo probat sapiētem lædi non posse: alterum est illi affine atque eiusmodi. Quod validius debet esse quod lædit, eo quod læditur. Non est autem potior nequitia virtute, non potest ergo lædi sapiens; neq; à malis, quia ipse bonus est, adeoq; illis validior; neque à fortunâ, quæ quoties cum virtute congressa est, nunquam par recessit. Quod si fortunę iniurias moderatè fert sapiens, quanto magis hominum potentium, quos scit fortunæ manus esse.

Alterum argumentum, quo cōtendit sapientem effugere iniurias omnes: est quia nescit nec in spe, nec in metu vivere: imo nec in irâ quam excitat iniuriæ species: quod si caret irâ, caret & iniuriâ; etiam

V 2

illâ

308 DE FORTITVDINE
illâ, quæ petitur à dicto, factoue
inhonorifico.

Pusilli homines amant videri,
digito monstrari, & dicier hic est:
amant primas cathedras, & primos
in epulis accubitus: hinc illæ abie-
cti animi querelæ: Ille me hodie
non admisit, cum alios admitteret;
non in medio me loco, sed imo
collocavit. Et hæ sunt voces nau-
seantis animi, in quas fere delicati,
& foelices incidunt; non autem sa-
piens; hic enim à nullo contemni-
tur, quia magnitudinẽ suam nouit,
nulliq; tantum de se licere renun-
tiat sibi, & omnes has, quas, non
miserias animorum, sed molestias
dixerim, non vincit, sed ne sentit
quidem.

Alia sunt, quæ sapiẽtem feriunt,
etiã si non peruertunt, vt dolor

cor-

corporis, amicorum, liberorumq;
 amissio, & patriæ bello flagrantis
 calamitas. Hæc non nego sentire
 sapientem, nec enim lapidis illi du-
 ritiam, ferriue asserimus. Nulla vir-
 tus est, quæ non sentias, perpeti.
 Qui ergo ab eâ iniuria immunis
 sapiens? ideo certè, quia eos qui-
 dem ictus recipit, sed receptos eui-
 cit, sanat, & comprimit. Sed & aliæ
 sunt cogitationes, à quibus ingens
 animi firmitas: habet enim sapiens
 hunc affectum erga omnes, quem
 aduersus ægros suos medicus, quo-
 rum nec obscœna, si remedio egēt,
 contrectare; nec reliquias, & effusa
 intueri dedignatur, nec per furo-
 rem sæuientium excipere conuitia.

Scit sapiens omnes hos, qui to-
 gati, purpuratiq; incedunt, colo-
 ratos, maleq; sanos esse, quos non

aliter videt, quàm ægros intemperantes, itaque ne succenset quidem si quid in morbo petulantius ausi sint: quis enim aut phrenetico medicus irascitur? quis febricitantis maledicta in malam partem accipit? quod si illa ne vnus quidem mortalium, certè neque hæc sapiens.

Aliud, quod pro singulari remedio vult esse Seneca, est, iniuriam illatam ne agnoscere quidem exemplo Catonis, cui cum os percussum esset, non excanduit, nō vindicauit iniuriam; ne remisit quidem, sed factam negauit. Maiore animo nō agnouit, quam ignouisset.

È vulgo vnus aliquis & agnouisset, & quod erat virtutis, forte etiam ignouisset: at nec agnoscit, nec ignoscit Cato: quia nimirum non ita sapiens

sapiens qua populus, sed vt sidera
contrarium mundo iter intendunt,
ita hic aduersus opiniones omniū
vadit.

Denique pro coronide viro sa-
pienti inter iniurias, & cōtumelias
id agendum docet Seneca, quod
militi: memor in prima acie altos
ordines stare, contumelias, & ver-
ba probrosa, & ignominias, & cœ-
tera dehonestamenta velut clamo-
rem hostium ferat; & longinqua
tela, & saxa sine vulnere circa galeas
crepitantia. Iniurias vero vt vulne-
ra, alia armis, alia pectori infixas, nō
deiectus, ne motus quidem gradu
sustineat. Etiam si premeris, & infe-
stâ vi vrgeris, cedere turpe est. Assi-
gnatum à naturâ locū tuere. *Quæ-
ris quis hic sit locus? Viri.*



LIBER TERTIVS.

PROOEMIUM.

De fortitudine, constantiâq; Christianâ in malis publicis.

MAla publica, quæ nobis obuenire solent, ad tres omnino classes reuocari possunt: quædam enim dicuntur, & sunt fortunæ mala, quædam corporis, alia mentis.

Ad mala fortunæ pertinent agrorum vastationes, & incendia; Urbium, Prouinciarû, Regnorum casus, ac ruinæ, & ex ijs relictæ paupertas, & angusta domi res.

Ad mala corporis spectant morbi, pestilentia, ægrotudines, eæ maximè quæ medicis *siderationes* appellantur.

pellantur: quia allatae à maligno quodam sidere, iratoque coelo. Et hae vel vni tantum regioni particulares, vel etiam Vniuerso communes.

Ad animi mala referuntur magna morum inclinatio, peruersitas generis humani, & maligna quaedam scelerum illuuias, à qua vir etiam fortis concutitur, atque ingemiscit.

Aduersus haec omnia suum erit à fortitudine praesidium, atque imprimis ab illis, quibus ipsa suos affectus instruit commentationibus, quas ego breui compendio complectar.

V 5 CA



CAPVT I.

Fieri quam sæpissime solet, vt
 eadem omninò calamitas &
 pios simul, & impios inuoluat: ali-
 ter tamen atque aliter: his enim vt
 Lib. 5. disertè notat Curtius, *calamitas*
querula est, & superba fœlicitas: il-
 lis autem & aduersitas sine querela,
 & prosperitas sine tumore est. Illis
 Poly- *calamitas illustris ad gloriam:* His
 dor. ad dedecus, & ignominiam infam-
 mis. Tam huius quam illius ratio-
 nem si voles, ea est: quod quisquis
 est iustus, is ad christianæ fortitu-
 dinis asylum cõfugiat, ab eo autem
 longius recedat iniustus: Ut illum
 imiteris, amice Lector, pauca tibi
 sub oculos ponam, vel monita, vel
 præcepta.

§. I.

In malis publicis remedium, ac solatium peti debet à diuinâ providentiâ, quæ ea vel facit, vel patitur.

ERit forte quispiam altioris animi, quàm vt priuatis malis cedat: at publicis concedet ille, atque ijs se concuti, ac de constantiâ suâ deijci patietur. Nimirum viro bono grauior accidit communis omnium calamitas, quàm vel sibi, vel vni cuiquam propria, quia vt commune bonum priuato est anteponendum, ita & malum vniuersale particulari fugiendum est magis, atque detestandum: nec illud inficiari velim; sed id tantum ne quis in eo casu abiectiore sit animo, sed erecto semper, atque elato memor illius quod pulchrè Seneca.

Calamitas, virtutis occasio est.

Libro.
Quare
viris bonis,

Eius maximè, quæ cœlum suspicit, & ad diuinam prouidentiam respectat; neque ad hæc inferiora sese deturbari patitur; vt quasi vno oculo cœlum, altero terram intueri velit: quod foret omnino vitiosum.

Similitudinē.
c. 63.

Pulchrè D. Anselmus: humano corpori duo sunt oculi, ceu gemæ, ceu soles illius Mycrocosmi, & hi eodem omnino sese flectunt, vertuntque: neque hic obiectam sibi rem aspicit, quin & eandem videat ille: perinde ac si foret vnicus: ita quippe à naturâ, hominisque conformatione consentiunt, atque conspirât oculorum orbis, vt non duos dixeris esse, sed vnicum: secus si fecerint, non naturæ, sed vitio erit adscribendum.

Quod corpori, luteæque moli est

est oculus, hoc animo mens, & intelligentia, quæ eodem vergere debet, non in diuersa rapi, nec terras modo, & ea quæ apud nos geruntur mortalia, sed cœlos tantum, & ea quæ à superis sunt contemplari.

Ita nos qua verbo, qua etiam exemplo docuere veteres illi Sophi; qui de fato, & ineuitabili, vt aiebāt, necessitate ea protulerunt, quæ nos saniore cōsilio, menteque, de diuinâ prouidētiâ sentiemus. De illo ita Seneca, doctè, vt solet, ac neruosè.

Scio omnia, certâ, & in æternum ductâ lege decurrere. Fata nos ducunt. Et quantumcumq; restet, prima nascentiû hora disposuit. Causa pendet ex causâ, priuata, & publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est; quia non vt putamus incidunt cuncta, sed
Ibidem.
veniunt.

318 DE FORTITVDINE
veniunt. Olim cōstitutum est quid
gaudeas, quid fleas, & quamuis ma-
gnâ videatur varietate singulorum
vita distingui, summa in vnū venit.

Accepimus peritura perituri.
Quid ita indignamur? quid queri-
mur? ad hoc parati sumus. Vtatur,
vt vult, suis natura corporibus. Nos
læti ad omnia, & fortes cogitemus
nihil perire de nostro. Quid est
boni viri? præbere se fato. Grande
solatiū est cum vniuerso rapi. Boni,
inquit, viri est præbere se fato, chri-
stianè dixerim præbere se Diuinæ
prouidentia, cuius cursus humana
omnia vehit etiam ea quæ in malis
reponimus, cuiusmodi sunt infan-
cia mortalium cædes, agrorum incen-
dia, Urbium, Prouinciarum, Re-
gnorum vastationes, ipsaq; etiam,
si voles, strages, ac ruina vniuersi,
quam

quam si spectet è cælis Deus, atque etiam immittat: quidni eam excipiat pusillus in terris homuncio, cuius est fata, seu potius Deum sequi, non ducere; neque curiosius causam cur ea fiant, inuestigare. Ut enim doctè Saluianus.

Quam ob causam mala in hoc mundo Deus fieri permittat, nolo à me requiras: homo sum, non intelligo: secreta Dei inuestigare non valeo, & ideo tentare formido: quia & hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinari. Sufficit tibi quod Deus cuncta à se agi, atque dispensari testatur. Et sicut plus est Deus, quam omnis humana ratio: sic mihi plus videri debet, quod à Deo cuncta agi cognosco. Et eâ quidem prouidentiâ, quâ ut piè D. Gregorius.

Contra
Gentes.

Sic

Sic intendit singulis, ac si vacet à cunctis, & sic omnibus simul intendit, ac si vacet à singulis. Ex illâ porro & amabili, & mirabili erga res omnes curâ fit, vt omnia contingant eius nutu: quo enim potius?

Est Deus custos, rectorque vniuersi, & velut animus, ac spiritus mundi, & huius operis dominus, & artifex: cui, vt ait Seneca ex suo sensu non omnino malè, omne nomen conuenit.

25 Mo-
ral. c.
19.

Vis illum, inquit, vocare fatum? non errabis: hic est ex quo suspensa sunt omnia, ex quo sunt omnes causæ causarum.

Lib.
Natur.
quæst.

Vis illum providentem dicere? rectè dicis. Est enim cuius consilio huic mundo providetur, vt concussus exeat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis.

bis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris, ipse enim est totum quod vides, totus sui partibus inditus, & se sustinens, & sua. Hæc de Deo philosophatus Seneca.

Quod si Deus totum est, quod vides, non quidem vt loquuntur Theologi formaliter, sed eminenter: quia totum vniuersum in se ipse stringit, ac continet summâ perfectione, nullâque communione imperfecti: quod si, inquam, & totum sic est, & totus sui partibus inditus, si & se sustinet, & sua, quid a deo anxiam voluis, fatigas, & torques animam tricubitalis homo? quid ingentibus curis & dies, & noctes implicas? quasi in tuos humeros, caputque decideret ea, quam a-

X

nimo

nimo meditaris, aut urbium, aut
 prouinciarum ruina; quasi caelos
 sustineres ipse velut alter Athlas,
 ruentemque mundum: maneat is
 apud superos labor, sit ista cura pe-
 nes Deum tuum, moderatorem v-
 niuersi: Tu eâ vacuus esto, & ca-
 sum, quem declinare nō potes im-
 motus animo sustine; altiorique
 prouidentia cede.

Ep. 71.

*Magnus animus, inquit Sene-
 ca, Deo paret, & quidquid lex uni-
 uersi iubet, sine cunctatione patitur:*

§. 2.

*In publicis calamitatibus solatio est
 meditatio vicissitudinis, senectutis,
 & occasus rerum omnium.*

Seneca de Catone hæc magni-
 ficè prædicat. Eodem die, quo
 præturâ repulsus est, lusisse: eâdem
 nocte, quâ periturus erat, legisse.

Ni-

Nimirum eodem loco habuit, & præturâ, & vitâ excedere; quia omnia, quæ acciderent, ferenda esse persuaserat sibi; nec priuata tantum mala, sed & publica, quale fuit reipublicæ inclinatio, atque occasus, quem ille forti, & æquo animo est passus; vel hac vnâ tantum meditatione, quod nihil mutationis periculo exceptum sit. *Non terra, non cœlum, non totus hic rerum omnium contextus, quamuis Deo agente ducatur. Non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies deijciet. Certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, extinguui. Quæcumque vides super nos currere, & hæc quibus innixi, atque impositi sumus, veluti solidissimis, carpentur, ac desinent. Nulli* EP. 71. *non senectus sua est. Inæqualibus ista*

spatius eodē natura demittit. Quid-
 quid est, nō erit, nec peribit, sed resol-
 uetur. Nobis solui, perire est. Proxi-
 ma enim intuemur, ad vltiora
 non prospicit mens hebes, & quae se
 corpori addixerit. Alioquin fortius
 sui, suorumq; finem pateretur; si spe-
 raret omnia illa sic in vitam, mor-
 temq; per vices ire, & composita
 dissolui, & dissoluta componi: in hoc
 opere aeternam artem cuncta tempe-
 rantis Dei verti.

Hæc olim ad Lucilium Seneca,
 vt ei faceret animos, omni fortunâ,
 casuque altiores, vt qui apud se re-
 poneret illud, aeternam artem om-
 nipotentis Dei in eo verti, vt per
 vices & composita dissolueret, &
 dissoluta componeret, suumque
 vnicuique finem statueret: Quod
 vt fideli, memori que serues men-
 te,

te, velim amice Lector, etiam singula expendas verba, & æqua lance penfes.

In hoc opere, inquit Seneca; quasi illud vnum supremi artificis sit opus, vniuersa, quæ sub cælo, sole-que sunt, mutare, & omnia pro sua voluntate, arbitrioq; vertere, atque, cum ita visum fuerit, euertere; quod ipsum non huius diei, imò nec cui consilium est, sed æternitatis: hinc *æternam artem* appellat: quia iam inde ab ipsâ retro æternitate inuenta, & scripta, non in ceris, aut membranis, sed in altissimâ, diuinâque primi authoris mente, & quidem non temerè, sed ex arte.

Nos abiectæ in terras animæ, & cælestium inanes, quibus ad superiora caligat oculus, & animus, cū eas rerum omniū mutationes aspe-

X 3 ctamus,

326 DE FORTITVDINE
Etamus casu quodam fieri credi-
mus, impeteque cœco causarum
in se, suâque operâ ruentium, re ta-
men ipsâ, non est ita; fiunt enim-
uero, fiunt ex arte omnia, & æter-
nâ quidem, adeoque cœlesti, im-
mutabili, diuinâ; quæ & artis hu-
manæ insana molimina, & ipsa
naturæ opera susque deque vertit.
Ut enim ille ipse Seneca, quo au-
thore lubens vtor.

Ep. 91. *Non tantum manufacta labun-
tur, sed & ipsius naturæ opera vexã-
tur. Et ideo æquo animo ferre de-
bemus vrbiũ excidia, & quoscum-
que in humanis casus, quia casura
omnia extant, omnibus exitus ma-
net. Eundem velis, nolis, per ipsas
fatorum, diuinæque prouidentia
vias, scriptasque cælo leges: à qui-
bus omnia mortalium opera morta-
litate*

litate damnata sunt : nullaque res Ep. 91.
 quantumuis magna non aliquod ha-
 buit ruinæ suæ spatium. In hac sepe
 vna nox interfuit inter urbem ma-
 ximam, & nullam. Proinde que sa-
 pienti in plenum cogitanda fortu-
 na est, & ante oculos fortis huma-
 nę conditio ponenda, & quod alijs
 euenit, nobis euenire posse præsu-
 mendum.

Quoties Asiæ, quoties Achaiaë
 vrbes vno tremore ceciderunt? quot
 oppida in Syria, quot in Macedo-
 niâ deuorata sunt? Cyprum quo-
 ties vastauit hæc clades? quoties in
 se Paphus corruit? frequenter no-
 bis nuntiati sunt totarum urbium
 interitus, imò prouinciarum, atque
 regnorum. Quod in illis annuen-
 te cælo visum est, non inuiti etiam
 in alijs, cum à Deo statutum fuerit,

patiamur: vt enim animanti sua est ætas, suaque senectus, ita & rei publicæ, & florenti quantumuis imperio: vti surrexit illud, ita & concidet. Sed magna, inquires, sunt ista. Ardere ciuitates opulentas, magnificas, nobiles, & sic earum eradi vestigia, vt nec quicquam extet, ex quo appareat illas saltē fuisse. Certè *magna ista, quia paruisumus, credimus: multis rebus, non ex naturâ suâ; sed ex humilitate nostrâ magnitudo est*: Quod ipsum vt in alijs plerisque; ita & in hoc de quo agimus, agnouit aliquando Hipponensis Præsul, æuique sui gloria, magnus Augustinus.

Venerat ille ad extremam ætatem, & annis, & vero etiam meritis grauem, cū ecce ingens calamitas, & veluti quedam hostium illuies

ex

Lib. 3.
nat. 99.

ex Hispanijs in vniuersam Africam sese effudit: mistæ erant Vandalorum, Gotthorum, & Alanorum acies, à quibus ita perijt Africa, vt in eâ tres tantum vrbes ab eâ irruptione, cladeque liberæ forent. Videlicet Carthaginensis, Hipponensis, ac Circensis: vbiq; locorum summa vastitas, ac solitudo; deserti agri, excisa oppida, dirutæ vrbes, expilata Ecclesiæ, profana, sacraque omnia violata. Ipsa Hipponensis vrbs grauissimâ obsidione pressa, deditiõnem cogitabat: non fecit tamen viuo, ac spirante Augustino: cadentẽ ille Rempublicam quantum modo potuit, retinuit; donec à morte vel abreptus, vel abstractus se quodammodo comitem diu sustentatæ ruinæ dedit: simulque extincta sunt, quæ nefas erat diuidi.

X 5. Neque

Nec; enim Augustinus post christianam libertatem vixit, neque libertas christiana post Augustinũ. Ideoque eo sublato statim florentissimæ ciuitatis facta deditio est; quam animo dum longè ante prospiceret, simulq; carissimæ prouinciæ calamitates, communeque excidium, hoc sapientis pronuntiato se ipse solabatur, mœroremque diluebat. *Non erit magnus, magnum putans, quod cadunt ligna, & lapides, & moriuntur mortales.*

Possidon. in
eius vi-
tâ. c. 28.

Quid aliud oppida sunt, & vrbes quam ligna, & lapides, inter se arte quadã, & industriã compacti? quid regiæ, & insana palatiorum molimina, ac substructiones? quid ingentes murorum minæ nisi lignorum strues, & aceruus lapidum inter se ingeniosè composita ad vsum generis

generis humani? Hæc igitur sua mole ruere, quid aliud est, quam ligna, & lapides cadere, atq; dissolui, & hoc magnum putabis? nō putabis, vel enim uero nō eris magnus.

§. 3.

Sapienti nec nouas, nec miras uideri debere publicas calamitates.

IN hoc argumento, ut alijs multis, verissimum illud sapientis: *Nihil sub sole nouum.* Etsi enim nobis trudatur dies die, nouæque pergant interire Lunæ, nunquam tamen ex toto interit publica calamitas, sed alia ex alijs enascitur, ut enata omnibus retrò actis iam sæculis; adeoque nec noua, nec mira cuiquam uideri debet.

Circulantur, inquit Lipsius, cotidie hæ clades, & orbe quodam
eunt

L. 2 de
Const.
c. 26.

cunt per hunc orbem, vt potius mirum videatur illud, si exlex quispiam sit ab hac communi lege, nec onus ferat, quod ferunt omnes. Solon amicum quemdam Athenis plus equo lugentem in editam artem deduxit, & subiectas omnes in magna vrbe ædes ostendit; addiditq; illud sapiētis. Cogita quam multi luctus sub his tectis olim fuerint, nunc versentur, postea futuri sint: ac mitte mortalium incommoda tanquam propria, & noua deflere.

Quod illi factum, dictumue, hoc cuiq; nostrum & fieri, & dici velim in magno isto mundo. Sed quoniam re non potest, fiat cogitatione; ea quippe libera est, atque expedita. Statuat illa vnum aliquem in altissimo coeli vertice, è quo velut

lut è speculâ despiciat subiectum
 quidquid est sublunare ; vrbes ,
 prouincias , regna , imperia veluti
 septa quædam cladium humana-
 rum, & amphiteatra, in quibus vi-
 fantur cruenti fortunæ ludi : & ve-
 lut arenæ in quibus non cum be-
 stijs luctandum est miserabili sane
 spectaculo: sed cum genere nostro,
 & quasi nobiscum ipsis: quidni e-
 nim dixero nos cum nobis ipsis
 pugnare, vbi cum homine, eius-
 dem nobiscum naturæ cõsorte pu-
 gnamus : & hanc terram veluti
 punctum ferro diuidimus.

Ita diuisa pridem Germania bel-
 lis, ac motibus intestinis : ita diuisa
 Gallia, Italia, & Belgium vno pro-
 pè sæculo ; quo dici potuit belli,
 Martisq̃ue theatrum.

Et hæc quidem sunt calamitates,
 quas

quas nostra vidit, & sensit ætas, sed nec miræ nec nouæ sunt illæ, his similes, imo maiores tota quanta est, spectauit Antiquitas, & in ijs cædes mortalium longè maximas.

Ordiamur à Iudæâ regione, & gente sacrâ: quid non est passâ seu in Ægypto exule terrâ, & arente solo, seu ciuili, externoque bello? ut non exponam omnia per indicem singillatim; in vna vrbe Hierosolymâ, per omne tempus obsidionis, mortui, aut cæsi, deciescentena millia, capti vero nonaginta septem millia.

De def
orac.

Quid Græcos memorem, & cultissimam olim regionem, quæ a deo bellis attrita, ut Plurarchus tradiderit eam vniuersam non fuisse suo æuo conficiendis *tribus millibus militum*, ecce ut ferro attonsa, atque

atq; exhausta. Non potest vniuersa regio, quod in eâ prius oppidulum potuit.

Quid Italiam, ac Romanos in theatrum euocem, quæ in ijs, & quam effusa maria malorum, quæ cædes, ac strages, quæ prouinciarû vastationes? Bello Punico secundo in solis Italiâ, Hispaniâ, Siciliâ supra quindecies centena hominum millia non totis septemdecim annis consumpta. Bello ciuili Cæsaris, & Pompei ad millia trecenta. Sub vno Cæsare, vndecies centena, & nonaginta duo millia hominum aduerso ferro periere. Scilicet has ille in externos strages edidit, vt taceam eas, quas suis ipse, ciuilibus bellis intulit. Omitto Q. Fabium, qui centum decem Gallorum millia: C. Marium, qui ducenta Cambrorum:

brorum:

brorum : Ætium, qui Catalaunico prælio centum sexaginta duo milia prostrauit, ac cecidit. Diceres profecto hominum greges sic sterni, vt segetes à falce. Habes, amice Lector, & his in bellis censes innumera prope hominum cadauera, vide & oppidorum.

Cato ille Censorius gloriatur plura se in Hispania oppida cepisse, quam dies in ea egerit. Sempronius Gracchus trecēta in ea deleuit.

Mitto cetera, quæ longum esset recensere, atq; ex his conficio, viro sapienti, qui prima sæcula cum postremis componet, nullam esse, aut videri posse nouam, & miram calamitatem : sed potius & antiquam & vsitatam, imo cum ipso orbe natam, nec desituram, nisi cum illo. Quæ vna cogitatio & solatio esse

esse poterit, cum familia in ætatem nostram incurrent mala, & remedio, nè ijs se deijci, aut etiam deprimi animus patiatur.

§. 4.

Publica mala à Deo immitti ad castigandam sepius in hac vitâ insignem hominum malitiam: ne eam grauius puniat in æternitate, & hoc viro forti, ac iusto solatium.

Tertullianus, vt solet ingenitâ magnæ mentis solertiâ, & cõcitatâ eloquentiæ vi, ac facundiâ, describit insana hominum studia, insolentem auaritiam, habendiq; libidinẽ, cui vix vnus orbis sufficit.

Omnia, inquit, iam peruia, omnia negotiosa, solitudines famosas retro fundi amœnissimi oblitterauerunt, syluas arua domuerunt, feras, pecora fugauerunt; arena seruntur,

Lib. de
anima
c. 30.

tur, saxa panguntur, paludes eliquantur, tantæ urbes, quantæ non casæ quondam. Iam, nec insula horrent, nec scopuli terrent, ubique domus, ubique populus, ubique respublica, ubiq; vita. Summum testimonium frequentia humane, adde & insatiabilis auaritiæ, ac cupidinis, quã ubi altiore stylo notauit Tertullianus, quasi euictus vagâ illâ mortalium libidine exclamat.

Onerosissimus mundo; vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum iam nos natura non sustinet. Reuera lues, & fames, & bella, & voragines ciuitatum pro remedio deputanda, tanquam tonsura insolentis generis humani.

Hactenus elato cothurno Tertullianus, è quo ferè tot oracula, quot

quot verba, ea calamo, menteque legamus.

Onerosi, inquit, sumus mundo: nimirum graue, & immensum est onus peccati, quod nec ipsa terræ moles, vt solida sit, sustinet, nec ipsa patiuntur elementa.

Testes volo Ægyptios, qui ab Exod. 15. illo onere descenderunt in profundum quasi lapis, & demersi sunt quasi plumbum in aquis vehemētibus.

Testem & Petrum Apostolorum principem, qui peccato liber, leui, & intacto pede ambulauit super aquas, eo deinde grauis, atque oppressus mergi cœpit. *Petrus, inquit D. Hieronymus, qui ante leuis pendulo gressu calcabat undas, postquam infidelitate aggrauatus vocabatur à fluctibus.*

Y 2

Quam-

Quamdiu ea noxâ vacuus fuit Petrus, ipsa aqua pondus non sensit; vel si sensit, æquius tulit, at vbi adiectum est pondus infidelitatis, tum illius velut impatiēs elementum premi cœpit, & fatiscere.

Testis erit & Iudas infamis proditor, à quo vno concitantur Euri, intumescunt maria, totoque grauis tempestas regnat elemento.

Portabatur authore Euangelistâ, interprete Ambrosio, portabatur, inquam, vnâ, eademque nauî Petrus, portabantur & alij Apostoli magnæ illæ, & excitatæ mentes, portabatur & ipse Christus, ipsa bonitas, ac sanctitas, & ecce (mirum dictu, visuque) ab vnus Iudæ sceleratâ mête, velut immani pondere cymba subsidit, adeo portentosum est onus peccati, sub quo ipsa

sa laborant maria, turbanturque
elementa.

Non turbatur, inquit Ambro- LUC. 5.
sius, nauis quæ Petrum habet, tur-
batur illa quæ Iudam habet: Etsi
multa illic discipulorum merita
nauigabant; tamen eam adhuc per-
fidia proditoris agitabat. In utrâ-
que Petrus, sed qui suis meritis fir-
mus est, turbatur alienis. Adeo e-
tiam ex tunc verum fuisset illud
Tertulliani. Onerosi sumus mundo,
quod si onerosi quid adeo mirum
est, si nos excutiat, eradatque è vi-
uorum tabulis, ipsâque rerum na-
turâ, qui naturæ præest Deus? &
hinc primum viro forti iustoque
in malis solatium est, quod scelera-
tus quisque, ceu onus huic mundo
aspectabili incumbens, à cælo vin-
dice decutiatur, ne terras grauet,
Y 3 atque

atque opprimat; quod ipsum pro remedio deputandum est, & secundo loco inter supremi Numinis beneficia reponendum.

Orbi laboranti est Deus, quod ægro medicus quispiam: vbi huius valetudo postulat, secat ille, refecat-que putida membra, ne reliquum corpus inficiant eadem mali lue, atque contagione.

Sic cū genere nostro propitium Numen iustos ab iniustis, qua peste, qua fame, qua bello diuidit, ac refecat; ne mortale genus, ceu nemus incæduum syluescat magis, seseque in noxias propagines exoneret; & hinc postremum benigniore cælo solatium: quod eæ calamitates ex vero tonsura quædam sint insolescentis generis humani; quã proinde æquis oculis aspiciet vir alti,

ti, fortisq̄ue animi; nec tam vulnus attendet, inflictamq̄; plagã, quam Dei vindicis manũ exosculabitur.

Emoriens olim Iacob conuertit se ad lectuli caput, & languidulam ceruicẽ erexit, vt adoraret fastigium virgæ Iosephi filij sui, atque exoscularetur eam.

Veniam dabis, amice Lector, si paululum abeam à litterâ, dicamq̄ue vero Israeli, Iacobo, ac supplantatori huius sæculi, erigendum altius caput, vt etiam in summis miserijs, ipsãq̄ue morte adoret, atque osculetur fastigium virgæ Domini: hoc est Iustitiam eius, quę mortales noxios ceu virga ferit. Et istud Diuinæ Iustitię dabit sapiens, aliud hominum sceleribus, atque malitiæ concedet, de quâ mouit quæstionem Seneca, si sune digna foret,

an lacrymis? virum fortem, inquit, occupat nonnunquam odium generis humani, & occurrit tot scelerum felicitium turba, cum cogitaues quam sit rara integritas, quam ignota innocentia, & vix vnquam, nisi cum expedit, fides, & libidinis lucra, damnaque pariter inuisa, & ambitio vsque eo iam se suis non continens terminis, vt per turpitudinem splendeat. Agitur animus in noctem, & velut emerfus virtutibus, quas nec sperare licet, nec habere potest, tenebræ oboriuntur. In hoc itaque flectendi sumus, vt omnia vulgi vitia, non inuisa nobis, sed ridicula videantur. Et Democritū potius imitemur, quam Heraclitum. Hic enim quoties in publicum processerat, flebat; ille ridebat. Huic omnia quæ agimus, miserix, illi ineptix videbantur.

Lib. de
Tran-
quil.a-
nimi.c.
15.

Vbi horum Philosophorū sensum non tam ex verbis, quàm ex oculis (qui etiã animi lingua sunt) ita collegit; tum illud conficit.

Eleuanda ergo omnia, & facili animo ferenda. Humanius est deridere vitã, quam deplorare. Adijce quod de humano quoque genere melius meretur, qui ridet illud, quã qui luget.

Postquã ea ex aliorum opinione protulit, tum è suã addit, quod sapientius. Satius est, inquit, publicos mores, & humana vitia placidè accipere, nec in risum, nec in lacrymas excidere. Nã alienis malis torqueri, æterna miseria est: alienis delectari malis, voluptas inhumana.

Hoc igitur à christianã fortitudine probè instructus faciet, in malignã illa scelerum eluie, animum

ita comprimet : vt etsi durum sit eam videre , ac pati ; leuius tamen fiat patientiâ , quia corrigere est nefas. Tum deinde adijciet etiam illud , quod æternitatem spectanti summæ est voluptati. Eum esse Diuinæ Iustitiæ , amorisq; ludum , vt in tempore puniat , parcat autem in æternitate.

Cum videris vnum aliquẽ scelestum in vitia pronum , ac præcipitem ire , nec tamen cælo vindice in pœnas vocari ; time ne huic quo , vitæque breui perituræ tantillum indulgeat Deus , vt in æternitate quàm longissimâ immenso suppliciorum pondere opprimat. Secus autẽ cum aduerteris quod antecedentem scelestum non deserat pœna pede claudo ; sed sequatur illico , prematque vehementius , tum
vero

vero te ipse erige, & hæc tibi ad animum appellat cogitatio. Bene habet: datur huic temporis pœna, ne detur æternitati; quam dum attentâ mente longè ante prospiceret Augustinus, etiam in morbo, extremisq̃ angustijs hæc in cælum, Deumq̃ iaciebat vota.

Hic ure, hic seca, hic nihil mihi parcas, ut in æternum parcas. Nihil, inquit, mihi parcas: non primæ ætatulæ næuos, non lubricas adolescentiæ vias, non quale quale senectæ vitium remitti volo, sed omnia ad Iustitiæ trutinam reuocari, ut in pœnas eat hoc corpus, hic animus, qui olim in libidines suas lōgius excessit. Nihil in ijs, ô Deus, nihil omninò parcas, ut in æternum parcas.

Paria quondam fuere Iobi patientis

tientis

*Iob. c. 6.
v. 8.*

tientis vota, quæ paucis ita expres-
 sit. *Quis det vt veniat petitio mea,
 & qui cœpit ipse me conterat? sol-
 uat manum suam, & succidat me?
 & hæc mihi sit consolatio, vt affli-
 gens me dolore non parcat.*

Inuaserat Iobum ingens calami-
 tas, & tantum non oppresserat;
 dissipati, cæsiq̄ue greges, diruta do-
 mus, & in eius ruinâ sepulti filij
 lōgè carissimi, corpus ipsum, quod
 ferè vnum à plagâ illâ liberum, &
 immune, fœdum in modum affli-
 ctum erat, & tamen in illâ longè
 maximâ afflictione, ab omnibus
 nudus, & inops exclamat: *Quis det
 vt veniat petitio mea?* quis mor-
 talium, quis immortalium illud ex
 voto meo concedat, vt æquus cœ-
 li, terræq̄ue Iudex, qui vindicem
 manum aperuit, laxauitq̄ue in pœ-
 nas

nas meas: pergat ipse, & me conterat, & quasi dissolutis Iustitiæ repagulis totus in me ruat, & qua pauperie, qua morbo, qua ferro succidat. Et in illo malorum cumulo *hæc mihi sit consolatio ut affligens me dolore, non parcat.* Non parcat, inquam, in tempore, ut melius parcat in æternitate.

§. 5.

Quomodo publicæ calamitates Dei electos terris eripiant, ut cælo reddant.

Verum illud quod censuit, & dixit olim Dionysius Hali-
carnassæus. *Omnes viri fortes hu-* Lib. 8.
manitus, & æquo animo calamitates ferunt.

At non sic pusillæ, & debiles animulæ; iniquius illæ patiuntur, cum aliqua occurrit afflictio, bono
publico

350 DE FORTITVDINE
publico vt videtur inimica. Vtque
in eo sibi blandiantur, alijsque fu-
cum faciant; aiunt à tribulationi-
bus illis multos fatiscere, ac perire,
& æternum quidem. Hinc illæ la-
crymæ, ac gemitus, & iustæ, vt e-
quidem existimant, querelæ, qui-
bus modum, finemque ponet ore
aureo Chrysofomus.

Hom.
36.

*Quid, inquit, de his dices qui
frequenter à tribulatione subuersi
sunt? quod non tribulationis est sub-
uersio, sed illorum imbecillitatis;
quod vt euincat, opportunâ vtitur
similitudine: Nec enim si quis infir-
mum habēs stomachum amarum non
admittat medicinam curare. Va-
lentem, sed potius atteratur, medi-
cinam non accusabimus, sed mem-
bri infirmitatem: sicut & hic men-
tis facilitatem.*

Cuius

Cuius vitio tribuendum omnino quidquid demum à calamitate consecutum est mali: quod ipsum longè ante agnouit D. Augustinus, & pro eâ qua est in dicendo solertiâ explicuit; ostendit enim in æstu tribulationis quod bonos inter, & malos sit discrimen.

In eadem afflictione, inquit, mali Deum detestantur, atq; blasphemant: boni autem precantur, & laudant. Tanti interest non qualia, sed qualis quisq; patiatur: nam pari modo exagitatum & exhalat horribiliter coenum, & suauiter fragrat unguentum.

L. i. de
Ciuil. c.
8.

Componit S. Doctor iniustum cum cœno, iustum autem cum unguento, quia ab hoc bonus emititur virtutum odor, ab illo infamis vitiorum omnium graueolentia, maxi-

maxime vero cum quati contigent, atque agitari.

Alij malos comparant cum luto, quod à sole concrefcit: bonos vero cum cerâ quæ ab eodem tota foluitur: fic enim afflictionis igne cor prauis hominis obduratur, & contra superos quodammodo obfirmatur: animus autem recti, æque tenax eodem ardore, ceu amico sole, colliquescit totus.

Et quia probè nouit illud moderator rerum omnium Deus, hinc eos quos sibi, ac cælo elegit, modo probat igne tribulationis: modo iactari patitur in hac vita, nō secus atque nauigia iratō mari, eo certe sine vt & citius, & certius teneant portum beatæ æternitatis. Res ea exemplo euadet illustrior.

Armatus occidēs propè vniuersus

fus

sus in Orientem profectus erat, vt
 Palæstinam barbaricâ seruitute li-
 beraret. Ingentes omnino copias
 eduxerat Conrardus Imperator, e-
 duxerat & Francorû Rex Ludoui-
 cus. Verum (quæ fortunæ incle-
 mentia fuit, vel potius quæ Dei cõ-
 niuentia) nulla re memorabili ge-
 sta post biennium domum redie-
 re cum exiguis magnorum exerci-
 tum reliquijs. Hoc autem eo gra-
 uius, tristiufq; accidit, quod ad eam
 expeditionem & cælum inuitasset,
 & cæli fauor miris sanè prodigijs
 à D. Bernardo Clareuallensi per-
 petratis. Ex quibus sibi terra nobi-
 lissimos triumphos poterat polli-
 ceri, sed alia fuerunt superum con-
 silia. *Nec enim (vt inquit Gofridus)
 ex illa profectioe Orientalis libe-
 rari, sed celestis meruit impleri Ie-
 rusalem.*

Z

rusalem.

In vitâ
S. Bern.

rusalem. Quod si placuit Deo tali occasione plurimorum eripere si non Orientalium corpora à Paganis, Occidentalium certe animas à peccatis, quis illi audeat dicere quid fecisti sic? Aut quis rectè sapiens illorum sortem magis nō doleat, qui ad priora, vel peiora forte prioribus scelerare redierunt, quam eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgati variis tribulationibus Christo animas reddiderunt? alioqui quantumlibet dicant Ægyptij, dicant filij tenebrarum qui nec veritatem videre valent, nec proferre. Callidè eduxit eos ut interficeret in deserto. Patienter tolerat Saluator opprobrium, quod tantarum animarum salute compensat. Ex illius historie serie conficies, amice Lector, Deum Opt. Max. emisisse ab Occidente
in

in Orientem maximos exercitus
eo ferè consilio, vt dum ij terris oc-
ciderent, & huic vitæ mortali; cæ-
lis oriri possent, & æuo nunquam
perituro.

Vis luculentius eâ de re testimo-
nium, illud accipe à D. Christinâ,
quam admirabilè stupuit, & prædi-
cavit orbis vniuersus. Visa olim il-
la inusitato perfundi gaudio, quod
quia animo contineri non poterat,
oculis, & vultu, toto sese prodebat.
Stupentibus autè quibuscum fortè
agebat, & causam sciscitantibus ad-
iecit. Patuisse immensa Diuorum
atria, & in ijs obiectas sibi beatas in
Cælo mentes vnà cum ipso Chri-
sto nouâ quadam incedentes læti-
tiâ; vel ob id vnum quod mortali-
bus & facilis, & lata ad salutem a-
perta iam esset porta salutis, atque

356 DE FORTITVDINE
æternitatis. Cumque rursus ex ea
quæsitum esset, ecquænam esset il-
la porta? respondit. Hodie Ieroso-
lymâ expugnarunt Barbari. Quid
deinde? an ea vitæ salutis porta? ex-
inde lætitia, plausus, ac festiuæ gra-
tulationes? ac non potius aditus
mortis, & origo prima luctus, mi-
serique eiulatus? Auditur ille qui-
dem terris, at silet in cælis, cuius alia
profecto iudicia: quæ vt euolueret
beata illa Virgo: addidit quod san-
ctæ ciuitatis recuperandæ gratiâ,
hominum maxima multitudo sa-
cram amplexa militiam à solutio-
re vita ad arctiorem conuerteretur,
fusoque plurimo sanguine Serua-
toris morti vicem rependeret, Et
hinc illa gaudia, illa exultatio in
cœlesti Ierosolymâ: dum interim
terrestris illa manet sub Barbarorū
iugo,

iugo, atq; tyrannide, & totius istius multitudinis pars potior qua peste, qua fame, qua ferro malè perit, male inquam si hunc mundū spectes, vitamque mortalem: at quam optimè si orbem alterum, si cælum, si beatitatē, ad quam superi, Deusq; sua omnia consilia dirigunt. Et vero etiam dirigere debet quisquis & nomine, & re etiam ipsa est christianus.

§. 6.

Ex malis publicis bona publica Deus elicit, & ex privatis privata; & hoc bonæ menti solatio est.

SI forte audieris tonare cœlum, mugire tonitrua, labique irato Numine fulmina, è duobus alterum tibi certo persuade; vel ijs corripì, atque castigari insignem hominum malitiam; vel excitari pie-

Z 3 tatis

358 DE FORTITVDINE
tatis antiquæ igniculos, qui malè
latebant aut sopiti, aut etiam sepul-
ti sub cinere doloso: illud superio-
re paragrapho explicui, hoc in præ-
sentia paucis agitabo.

Poëtæ veteres, quibus ad docta
commenta facilis animus; inter
sua emblemata, hoc statuere: In-
mensâ probè stratâ posuere testu-
dinem, cytharam, aliaque musicæ
instrumenta, appenso hoc lēmate.

Non pulsata silent.

Alij facem ardentem, atque in-
uersam, adiectâ hac epigraphe.

Vires inclinata resumit.

Nonnulli Bellonæ amantiore
scutis suis insculpsere plantam Cro-
ci, addita hac inscriptione.

Calcata viresco.

Hæc fuere emblemata quibus
eximios tribulationis prouetus ex-
pressere veteres illi Sophi.

Ita nimirum se habent mortali-
 um ingenia, ijs ex voto dum fluunt
 omnia, diffluunt ipsi, nec vllum à
 virtute, rebusque bene gestis con-
 centum edunt; nec accenduntur,
 aut ardent igniculis diuinæ carita-
 tis, nisi cum inuersâ fortunâ, & ip-
 si quoque inuertuntur: neque sese
 explicant in folia, floresque bono-
 rum operum, nisi cum inimico pe-
 de calcantur; vt recte dixerit An-
 thisthenes apud Plutarchum.

*Ad salutem, & incolumitatem
 tuendam opus esse aut amicis inge-
 nuis; aut acribus inimicis; quia hi
 dum admonent peccantes, illi dum
 maledicunt, reuocant à vitijs: &
 quoniam ad loquendum pœnè vo-
 cem amisit amicitia; loquax autem
 est emulatio, superest vt ab inimicis
 verum audiamus; itaque falsa, qui-
 bus*

bus capimur deponamus: vt proinde nobis plerumque melius fit; inimicis cingi, quam stipari cateruâ amicorum; ab illis quippe minus anime, quam ab his periculum est.

Quod ipsum sensit olim Nasica teste Plutarcho, cum enim quidam existimarent res Romanas iam in tuto esse quod nimirum Carthaginenses extincti, Græci subacti essent. *Imo nunc, inquit, summo sumus in periculo, posteaquam nulli supersunt quos vel timeamus, vel vereamur.*

Eodem spectauit celebris illa quæstio olim agitata apud Romanos in amplissimo illo orbis theatro; expediretne Romanæ iuuentuti Carthaginem Romæ emulam dirui penitus, atque euerti. Itum in varias sententias, & quidem à viris
om-

omnino magnis, & sapientibus. Cato destruendam censuit, soloq; æquandam; Scipio è contra conseruandam, vt haberet Romana pu- bes quo exerceretur, quodue me- tueret. Placet audire de eo argumẽ- to magnifice vt solet, discurrentem D. Augustinum.

Scipio, inquit, Pontifex Maxi- mus, ille iudicio totius Senatus vir optimus, metuens orbis calamita- tem nolebat æmulam tunc Romani imperij Carthaginem dirui, & de- cernenti vt dirueretur, contradice- bat Catoni; timens infirmis animis hostem securitatem, & tanquam pu- pillis ciuibus, idoneum tutorem, ne- cessarium esse videns terrorem.

Ecce vt iudice Scipione securitas ipsa hostis fuit; & terror, tutor vr- bis, imperijque Romani: illum si

Z s exclu-

362 DE FORTITVDINE
exclusisses, futura erat Roma, & pu-
pilli ciues sine tutore, sine pædago-
go. Quod Romæ, hoc etiam cuiq;
ciuitati, imo & homini, cui seu
publica, seu priuata calamitas me-
lior est prosperitate, & hostis ami-
co potior; quia, vt ait D. Augusti-
nus, *secundis rebus ea mala oriun-
tur in moribus, quæ seuientibus pe-
iora sunt hostibus.* Enimvero peio-
ra, quia hostes fortunæ exuias, &
bona corporis eripere dūtaxat pos-
sunt, at ~~anima~~ securitas, & longa
pax meliores ~~anima~~ diuitias, virtu-
tem scilicet, fidem, pietatem, aliaq;
bonarum mentium ornāmēta suf-
furari possunt, atque dilapidare; &
quia hæc fere tantum spectat, amat-
que cælum, hinc suauis quadam,
miraq; prouidentia per varias tem-
porum, sæculorumque vices publi-
cas

cas immittit clades, patiturque sub
ijs premi, ac gemere christianum
orbem; ut in eo sopitam quasi fidē,
& religionem auitam exsuscitet.

Producamus huiusce rei petita
ab Antiquitate vel testimonia, vel
etiam exempla, maior quippe fa-
ctis habetur fides; quam verbis.

Ecclesiæ Catholicæ sensim ado-
lescenti, idem usu venit, quod O-
ceano, hic modo ventos habet ad-
uersos, & tumultuantes toto pati-
turelemento: modo fauentes au-
ras sentit, & mites Zephyros, ab ijs-
que pacatas, & molliter subsidentes
aquas: sic etiam Ecclesia, quæ hoc
mundo, ceu mari iactatur, modo
graues habet, & timendos persecu-
tionum æstus, modo amicâ, gratâ-
que fruitur malaciâ, ac tranquillita-
te, qualis olim fuit sub duobus Phi-
lippis

lippis

lippis Imperatoribus christianis, patre scilicet, ac filio, sub quorum imperio fidelibus concessa fuit alta pax; à quâ facta est mirabilis, ac deploranda morum inclinatio.

Primū enim deferbuit primeuus ille pietatis ardor, qui in christianis olim non sine laude, & stupore sese extulerat, deinde pronò, ac præcipiti lapsu itum in alia, atque alia vitia: pars quippe fidelium plus equo indulsit gulæ, pars in vetitani excessit venerem, pars superbos, atque insolentes erexit animos: omninoque pauci fuere, qui sese cōtinerent intra septa auitæ fidei, ac pietatis.

o Ea vitæ, morumq; solutio à Superis vindictâ exciuit, & cælo etiam patiente in orbem extulit Imperatores duos, Decium, & Valerianū, qui excitata graui persecutione, horum

rum

rum vitia plecterent, illorum virtutes acuerent. Quod Deo reuelante cognouit D. Cyprianus, cuius hoc est super eâ re luculentum testimonium.

Hoc nobis per visionē exprobratum sciatis quod dormitemus in precibus. Persecutio ista examinatio est, atq; exploratio peccati nostri. Lib. 4. Ep. 4.

Quod ipsum argumentū fufius explicat sermone de lapsis. Quia, inquit, traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruerat, iacentem fidem, & pœnè dixerim morientem censura cœlestis erexit.

Ostendit autem quâ corrupta esset disciplina, quâ iaceret, ac pœnè extingueretur fides.

Non erat, inquit, in Sacerdotibus Religio deuota; nō in ministeriis fides integra, non in moribus disciplina.

*plina. Corrupta barba in viris, in
fœminis forma fucata. Adulterati
post Dei manus oculi, capilli menda-
cio colorati. Ad decipienda corda fi-
delium callidæ fraudes, circumue-
niendis fratribus subdolæ volunta-
tes. Iungere cum infidelibus vincu-
lum matrimonij, prostituere gentili-
bus membra Christi.*

Hęc erant illius æui scelera, alia-
que plurima ijs affinia, quę ibidem
longâ serie commemorat vir san-
ctus, non sine lacrymis, profundo-
que gemitu, tandemq; ex ijs vnum
illud conficit. Id eo loci, ac tem-
poris egisse mortales *per sua pec-
cata, ut ad correctionem delicti,
& probationem fidei, Diuina iu-
stitia remediis seuerioribus vtere-
tur.*

Et hæc cogitatio bonæ menti
debet

debet esse solatio cum certo sibi
persuaserit eum esse genium cæle-
stis illius prouidentia, atque æqui-
tatis, vt è publicis illis calamitati-
bus, & publico bono studeat, &
cuiusque etiam saluti, atque inco-
lunitati consulat.

*Mitigat vim doloris considera-
ta æquitas ferientis,* inquit D. Gre-
gorius, qui eam Diuinæ Iustitiæ æ-
quitatem breuiter, sed neruosè cõ-
mendat his verbis. *Donis suis Deus*
flagella permiscet, atque (vt ita di-
cam) delectabiliter mordet, suauiter
cruciat, hilariter contristat.

7. Mo-
ral.In Eze-
chiel.

Quidni enim dicatur & cum
delectatione mordere, & cū suauitate
cruciare, & cum amœno quo-
dam voluptatis sensu contristare,
dum ita mordet, vt mentem pro-
funde sopitam excitet; ita cruciat
vt

vt medelam afferat ; ita contristat,
vt æternis deinde gaudijs cumulet.

Exemplo erit illud quod sensit,
probauit, amauitq; Belgium. Bru-
xellam olim inuaserat sæua pestis;
eamque longè, ac latè erat depopu-
lata, & ita quidem vt in vrbe alias
populo frequentissima vix vlla do-
mus esset, quam non mœsto fune-
re notasset. Hinc abiecti omnium

P. Ba-
linghem
in l. So-
latium
afflicto-
rum.

animi, vbiq; timor, horror, luctus,
comploratio, lamenta, miserique
eiulatus, quia vbique multa mortis
imago; quam dum spectat vir Re-
ligiosus in paucis, cui nomē Theo-
dorus è D. Francisci familia, vt illis
animos & morbo, & ipsa morte
maiores faceret, primùm egros pas-
sim adire, solari, morientium con-
fessiones excipere, & ad extremum
agonem communire; dein etiam

statis

horis in S. Gudulâ de pulpito dice-
 re, multa que piè in aures, animosq;
 iacere, quæ dolori immodico mo-
 dum ponere posse viderentur. At-
 que inter cœtera vnum istud, im-
 missam illi vrbi eam cladem ad-
 mirabili Dei prouidentiâ, quæ cor-
 pora dirâ tabe solo sternebat, vt a-
 nimos in cælum erigeret, & sic re-
 etiam ipsa perfectum esse: se enim
 Deo reuelante cognouisse è trigin-
 ta millibus, quos ea lues sustulerat
 duos dūtaxat malâ morte perijisse,
 stygijsque addictos rogis; reliquos
 omnes ea tēpestate fœliciter iacta-
 tos, salutis, cæliq; portum tenuisse.

Quod illi ciuitati à communi
 morbo beneficiū datum est, hoc &
 alijs dabitur, si modo se, suosq; Di-
 uinæ voluntati pariter cōsentientes
 exhibeant, & vero quidni exhibeāt?

A a

Hæc

Arnold.
 Raiffe
 in eius
 vita.

L. 3. dis

ser. c. 26.

Hec olim iactauit Epictetus. *Ap-
petitum meum obedientem præbui
Deo, Vult ille me febricitare? & ego
volo. Aliquid aggredi? volo. Ali-
quâ re potiri? volo. Non potiri? no-
lo. Mori me vult? mori igitur volo.*

In ps. 118.

Serm. 4.

de mor-
talitate.

Si ista Ethnicus homo censuit,
& dixit in profunda nocte gentili-
tatis, quid sentire, & loqui debbit
christianus in alta luce fidei or-
thodoxæ? debbit certe quod ille,
eòque amplius: sed proh dolor! ad-
huc eo quo viuimus æuo verum
est illud D. Hieronymi. *Si quid
aduersi accidit, prona in Deum que-
rela est. Et istud Cypriani. Hoc ni-
timur, & reluctamur, & peruica-
cum more seruorum ad conspectum
Domini cum tristitia, & mœrore
perducimur, exeuntes istinc neces-
situdinis vinculo, non obsequio volun-
tatis.*

Ita scilicet è corporibus exeunt
seruiles animi : qui nec se, nec sua
diuinæ committunt voluntati : at
non sic liberæ mentes, Deum illæ
sequuntur, non quia necesse est, sed
quia etiam volupe.

Et hæc de publicis calamitatibus
dicta sint, ad quæ visum est oppor-
tunum adijcere Orationem quam
D. Augustinus vsurpauit in obsi-
dione Hipponësis ciuitatis, & quâ
etiam in omnibus prope malis vti
poterit, & seipse solari christianus
animus.

Aa 2 ORA


O R A T I O D. A V G V S T I N I
paulo ante obitum in obsidione Hipponensi composita, eius operibus non contenta, à Cardinale Soripando, olim Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini, Patribus Cöcilij Tridentini exhibita.

ANte oculos Domine culpas nostras ferimus, & plagas quas accepimus, circumferimus. Minus est quod patimur, maius est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas nostra versatur, iniquitas nõ mutatur. Mens ægra torquetur, & ceruix dura non flectitur. Vita in dolore suspirat, & in opere se non emendat. Si expectas, non corrigimur; si vindicas non duramus. Cõfitemur in correptione quod egimus:

mus: obliuiscimur post uisitacione
 quod fleuimus. Si extenderis ma-
 num, facienda promittimus; si su-
 spenderis gladium, promissa non
 facimus. Si ferias, clamamus ut par-
 cas; si peperceris, iterum prouocamus
 ut ferias. Habes Domine confiten-
 tes reos; nouimus quod nisi pecca-
 ta dimittas, recte nos perimus. Pre-
 sta Pater omnipotes Deus sine me-
 rito quod rogamus, qui fecisti ex
 nihilo qui te rogarent. Amen.

*De actu Fortitudinis qui in ag-
 gressione consistit.*

IN duobus potissimum sese ex-
 erit, atque explicat vis fortitudi-
 nis, quam sententiam breui, & neruosam
 complexus est, qui iactauit illud,
Agere, & pati fortia Romanum esse:
 de hoc egi parte prima: de illo etiam
 in secunda paucis.



CAPVT VNICVM.

De fortitudine militari.

Fortitudo quæ belli pericula spectat, in signe omnino decus continet, atque eiusmodi vt Cicero cæteris omnibus præstare scripserit: nec immerito: agitur enim in eâ de summâ rerum, hoc est, non de fortunæ bonis, aliquouè homini extrinsecò: sed de re pretiosissimâ, & charissimâ, id est vitâ, quam discrimini obijcere pro honestate, pro libertate, pro patriâ gloriosum ducitur: & quia in militiâ, seu palæstra fortitudinis ea vis exercetur, atque elucet: de illâ nonnulla subnectemus: & primùm quidem, quæ eam vitia dedecorent; deinde quæ spectabilem reddant ornamenta virtutum.

§. I.

§. I.

*Quæ militari fortitudini sint
aduersa?*

PAulus Æmilius militi tria dicebat esse curanda: Corpus ut Liuius lib. 44. quam validissimum, & perniciosissimum haberet. Arma apta: animū ad subita imperia paratū. Ad hunc spectant etiam illa tria, quæ in milite desiderabat Brasidas. *Velle, Vereri, Ducibus obedire*, adde & continentem esse, & æqui, iusti quæ tenacissimum. Thucyd. l. 5. Hæc enim omnia si adsint, verè militem, id est fortem, faciunt, si absint, ignauum relinquunt, nec militiam sapiunt, sed malitiam, qualis est plerumque in hac sæculorum fœce, quæ disciplinam militarem exuit, atq; abiicit, de eâ ita Iustus Lipsius.

A a 4

Emunt

In Po-
litic.

Emunt duces militem, non le-
gunt: pecuniola proponitur, tym-
panum strepit, & ecce coëunt ali-
quot ignoti inter se, ignorantēque,
purgamenta urbium suarum, qui-
bus ob egestatem, & maxima fla-
gitia peccandi necessitudo est: af-
fueti latrocinij, bellorum insolentes,
quorum lingua vana, manus
rapacissimæ, gula immensa, pedes
fugaces, quæ honestè nominari nō
possunt inhonestissima, nullam
disciplinæ formam, nec extrema
quidem eius lineamenta seruantes,
lasciuientes certatim, inter quos om-
nia indisposita, temulenta, perui-
gilijs veneris, ac bacchanalibus,
quam discipline, ac castris propria.
Hi nec in procinctu, nec castris ha-
bentur, sed per municipia desides,
hospitibus tantum metuendi ef-
fundunt

fundunt se in luxum, epulas, & nocturnos cœtus. Ibi circumferri merum largius iubent, debellaturi super mensâ Alexandrum, suas vires extollere docti, hostium paucitatem contemnere; cœterum galeati lepores, & quibus vt ad populandos finitimorum agros, tecta que vrenda, & capienda pecora aliqua vis sit, ita in acie, & signis collatis nulla vis est: nec in victoriâ eis decus, nec in fugâ flagitiû. Vt omnia paucis, exercitus linguâ, quàm manu promptior, prædator è socijs, & ipse hostium præda. Hactenus docto calamo Iustus Lipsius qui aculeatâ oratione pungit, ac damnat eam militiam, quæ nihil aliud esse videtur, quam impunitas quedam, & licetia quidlibet audendi per fas, nefasque, quod quàm alienum sit

378 DE FORTITVDINE
à militari fortitudine ex dicendis
patebit.

§. 2.

*Virtutes annexæ militari
fortitudini.*

Fortitudo militaris in eo potissimum eminent, quod hominem efferat ad ardua quæuis pro honestate, pro focis, & aris suscipienda, ad pericula adeunda, & pulchram per vulnera mortem; de quâ piè, & magnificè D. Bernardus sermone ad milites templi.

Cap. I. *Quam gloriosi, inquit, reuertuntur victores de prælio? quam beati moriuntur martyres in prælio; quasi diceret vir sanctus, parum, aut nihil interessè, stentne, an cadant, viuant, an intereant: vincant, an vincantur, si enim vincunt, triūphatoris*

phatoris laureâ donantur, si vincuntur martyris aureolâ : hanc certè Machabæis, ex tacito quodam Ecclesiæ sensu tribuit Rupertus.

Eorum, inquit, bellicam defensionem, non minus quàm indefessam martyrum patientiam in sanctâ Ecclesiâ legendo, & cantando celebramus. Quod Machabæis concessit Rupertus, hoc propè christianis militibus, qui aduersus infideles fortiter decertant, attribuit D. Bernardus, cuius melleâ capior eloquentiâ & capieris ipse nō dubito, mi Lector. Illam ergo auidâ aure, menteque excipe : ita sese in militum laudes, & præclara encomia diffundit.

Secum præliantur, nequaquam metuentes aut de hostium cæde peccatum, aut de suâ nece periculum.

Miles

Præf. ad
lib. de
victoriâ
verbi
Dei.

Miles Christi securus interimit, securior interit: sibi prestat, cum interit, Christo, cum interimit. Cum occidit malefactorem, non homicida, sed ut ita dixerim malicida reputatur. Cum occiditur ipse, non perijisse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum, quam excipit, suum. Mors, inquam lucrū, si modo vita etiam cum lucro fuit, & virtutum, ac meritum incrementum, de quo cum incidit quæstio, in mentem, atque oculos venit ille scripturæ locus.

1. Reg. c.
15. v. 4.

Præcepit Saül populo, & recensuit eos quasi agnos ducenta millia pedum, & decem millia virorum Iuda.

Huius loci intelligentia, si nuda spectes verba, in aperto est; si variam Interpretum mentem, in occulto: sunt enim ex Hebræis, qui
velint

velint Saulem recensuisse eos in agnis, quos singuli conferebant, eo fere modo, quo alias ille ipse Saül militem suum collegit, atque numeravit in *Bezech*, hoc est in *testulis*, quas singuli in vnum aceruum congerebāt, vt earum numero, ipse quoque militū numerus legeretur.

Quod si forte quis studiosus indagator antiquitatis eum sibi nodum solui velit, cur eo loci, ac temporis in agnis militē censeri oportuit? audiet quia in seipsis sine flagitio recenseri non poterant: deinde in computatione populi in singula capita statuebatur pretium, & is agnus esse poterat. Denique tum forte imminebat solemne Pascha, quo ex Diuinæ legis præscripto agnus erat immolandus.

Atque hæ rationes petitæ sunt

cx

382 DE FORTITVDINE
ex ipsâ antiquitate, legisq; normâ,
ac placitis, non tamen vt quidem
existimo, ex genuinâ illius loci in-
terpretatione; è quâ nonnulla de-
ducam ad militum mores probè
efformandos.

Recensuit olim Saül milites qua-
si agnos, tum quia rex erat, & mili-
tiæ dux, adeoq; ex scripturæ sensu,
atq; vsitatâ appellatione etiam pa-
stor; tum quia quisquis est miles, is
agni genium debet æmulari.

Obe-
dientia.

Est agnus imprimis obediens ad
vocem, nutumq; pastoris seu in
campum euocet, & læta pascua; seu
reducatur ad caulas; seu plana, abie-
cta q; vallium, seu ardua montium
pedo monstret, aut proiecta gleba.
Et ea quoque debet esse militis in-
ducem obseruantia; de qua præcla-
rè Thucydides.

Hoc

Hoc ad rem in bello præclarè gerendam præcipuè pertinere iudicatur, ut & pugnandi voluntas adsit, & modesta quædam erga duces obedientia. Cuius specimen, ac documentum insigne habes in eo de quo Plutarchus. Is cum in acie stric- ^{In La-}
 ctum iam ensẽ in hostem esset ^{cor.}
 infixurus, dato derepente signo receptui, substitit, manumque sustinuit, nec telum aduerso pectore infigendum duxit. Roganti vero cuidam, cur hostem, cui ferro iam imminebat, non sustulisset è medio, scitè respondit: Quoniam melius est parere imperatori, quam hostem occidere.

Exemplum illustre militaris discipline, à quâ immane recesserunt plerique huius ævi milites, quibus nequicquam obsistentibus ducum mandata-

mandatis prope quidlibet audendi
 summa est licentia. Ea nō erat, cum
 in oculis, in manibus essent Roma-
 nę leges, & iura belli, ex quibus ho-
 stem ferire nefas nisi signum de-
 disset tuba, interimere crimen si re-
 ceptui cecinisset.

Ex hac porro deuoti pectoris
 submissione natum illud axioma.
Non licet in bello bis peccare, error
enim in bello, & inobedientia mors
est: atque utinam esset, non ea foret
in acie morum corruptela, non ra-
pinæ, non latrocinia, quibus ple-
rumque viam aperit ipsa impera-
torū remissio, qui & alijs iniuriam
inferunt, & sibi, suoq; nomini no-
tam inurunt: longè absimiles illi
Galbę, adeo apud veteres nomina-
to. Ille bellis in grauissimis adeo
seuerâ disciplinâ milites continuit,

vt

vt simul atque in castra venisset, illico vulgaretur ille trochaicus. *Disce miles militare, Galba est, nō Getulicus.* Nimirum & animos ille suorum in obedientia retinebat, & manus continentia, ac iustitię vinculis illigabat, ne in aliena bona, in rapinas ferrentur præcipites, vicinosque agros suis latrocinij infestarent; quod alterum est boni ducis officium; cui vt militia, ita & iustitia est in amoribus; & merito.

Iustitia,

Quæsiuit olim D. Augustinus, ^{De ciuit. l. 4.} quid essent regna remotâ iustitiâ, atque addidit, nihil esse nisi magna latrocinia; quod si regna quæ loca tenent, sedes constituunt, ciuitates occupant, & suos municipes etiam muris, ac vallis claudunt, positâ tamen, ac profligatâ iustitiâ latrocinia sunt, quanto magis militia, quę

Bb

nec

nec suos vallo continet, nec muro:
 sed vagos, ac palantes totis campis
 effundit: sed est illud ingens ma-
 lum, quod in ciuitatibus latrocinia
 in occulto sunt, in militiâ vero in
 aperto, quod (vt inquit Augusti-
 nus) confert addita etiam impuni-
 tas, ob quam Alexandro non mi-
 nus eleganter, quàm verè respondit
 olim Pyrata ab eodẽ comprehen-
 sus. Ei quippe sciscitanti quid sibi
 vt mare haberet infestum? libera, &
 expeditâ voce subiunxit. Quid
 tibi vt orbem terrarum? sed ego
 quia exiguo nauigio facio, latro
 vocor: quia tu magnâ classe, Impe-
 rator.

Appositè fanè ad coercendam
 Alexandri auaritiam, & insanam
 dominationis libidinem, sub qua
 vel ipse gemebat orbis, nec par esse
 vide-

videbatur : & tamen vt ea esset , regnabat impunè , quia armis tuta , & ingenti imperio subnixa ; ne illa quoque in huius eui militiâ regnet ; quisquis bello præsidet , sit ille equi , iusti que tenacissimus : ne miles qui sub eius stipendijs meret , aut cornu feriat , aut dente mordeat , aut vngue rapiat , inuolet que in alienas facultates ; quod certè non faciet , si vt olim à Saüle quasi agnus , hoc est miles recensatur .

Sit deinde pacis amans , ac concordia , hæc enim commilitones ^{Cōcor-} inter se necitit tanquam membra ^{dia.} vnus magni corporis .

Existimabat Amatus vrbes (& eadem de militiâ est ratio) singulatim imbecilles mutuo seruari , tanquam illigatas publico commodo , ac quemadmodum membra

Bb 2 corpo-

corporis viuentia, & conspirantia, propterea quod inuicē innata sibi hærent, si quod eorum auellatur, & à cœteris separetur, non alitur amplius, sed tabescit: ita vrbes censebat ab ijs qui Rempublicam diuellerent, perdi: augeri autem vnam ab aliâ, & omnes mutuo, cum veluti magni alicuius corporis partes communem haberent procurationem.

Plutar.
in Arat.

Quod de vrbe, hoc de militari Republicâ verius dixero, cui si pacem dederis, & concordēs animos, cohærebit illa; sin autem discordes feceris, illico dissipabitur.

Regnum, inquiebat Micipsa ad filios, vobis trado firmum si boni, hoc est consentientes eritis; sin mali, hoc est ab inuicem dissentientes imbecillum: nam concor-

Sallust.
de bello
Iugurt.

diâ

diâ parua res crescunt: discordiâ
maximæ dilabuntur.

Testis erit Numantia prius inui-
cta, post euerfa, cui, vt ait Tiresius,
concordia victoriam, discordia exi-
tium præbuit.

Brutus
l. c. 4.

Tyrhenus lapis quamuis gran-
dis innatat, comminutus fudit: ita
concordiâ sustinemur, discordiâ
pessum imus, inquebat Plinius, &
Aristoteles purioris Philosophiæ
perspicax ocellus.

Plin. l.
2. c. 106.
Arist. de
natura
c. 12.

Hanc porro concordiam docuit
ipsa Saülis militia, in qua quot ca-
pita, tot agni, quia vt hi gregatim
pascuntur, & quo præit vnus, eo se-
quuntur alij: ita Saülis milites cõ-
cordibus animis ibant, quo duce-
bantur.

Sed & alia fortitudini militari
cognata virtus; ea porro est auda-

Bb 3

cia,

Auda-
cia

cia, media temeritatem inter, & ignauiam: nec enim ea censenda virtus est, quæ sine ratione, sine modo in hostem incurrit, periculum potius creatura, quam prælium motura, neque etiam ea laudi danda est; quæ adeo timori conuiuet, accedit, vt vel ipsum periculi nomen fugiat, atque auerfetur: viro militari audendum aliquid in hostes, in acies, in ferrum, in mortem ipsam eundum est, cum ratio suadet, publicumque bonum: recedendum tamen etiam quandoque, & obuiuo hosti cedendum, cum aduersum ferre caput Reipublicæ potius noxium videris, quàm profuturum.

Stob.
serm. 52.

Ita quondam Antigonus hostibus ingruentibus cessit, ac ne ignauiæ, aut timoris argui posset, adiecit illud; se non fugere, sed utilitatem

tatem retro sitam persequi; & verum
 tum stetit immotum, fuisset te-
 meritatis: cui ex opposito habes vi-
 tium aliud alterum, quod ignaviam
 dicimus; à quâ ut auocarentur tem-
 plarij milites, docerenturq; in bel-
 lis cōtra Saracenos, aut vincendum
 esse, aut moriendum: si fortè cape-
 rentur, solo cingulo, & cultello re-
 dimebantur: exiguum sane hosti
 lucellum, ne scilicet eo malè capti-
 vitam donarent ignavis, & quasi
 ultro se dedentibus.

Sigerti
 conti-
 nuator.

Ab illâ porro ignaviâ militem
 procul esse vult illud militare ro-
 bur, quod à virtute, à fortitudine
 petitur, cuius exempla habet anti-
 quitas, habent & nostra secula, quæ
 fortè primis illis nō cedunt, è mul-
 tis duo producam, ne stylum lon-
 gius ducam in argumento satis ob-
 uio;

uio; vnum terra sensit, alterum stupuit oceanus, ipsumque aquarum elementum.

I. 2. C. II. Aulus Gellius in noctibus atticis refert Lucium Sicinium dentatum (qui Tribunus pleb. fuit Sp. Tarquinio, & A. Thenio Cōsulibus (prout scriptum est in libris Annalium) plusquam credi debeat strenuum bellatorem fuisse, nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem, appellatumque *Achillem Romanum*. Is pugnasse in hostem dicitur centum & viginti praelijs, cicatricem auersam nullam, aduersas quinque & quadraginta tulisse. Coronis esse donatum aureis octo: obsidionali vna: muralibus tribus: ciuicis quatuordecim: torquibus tribus, & octoginta: armillis plus centum sexaginta: hastis duodeuiginti: phaleris

leris quoque donatus est quinquies
viciesque. Populi militaria dona
habuit multiiuga, in his prouoca-
toria pleraque. Triumphauit cum
Imperatoribus suis triumphos no-
uem; è quibus quantum præstite-
rit militari virtute in aperto est; &
hunc in continenti bellatorem a-
mauit, suspexitque; Roma, gentium
domina, & Martis amantior. Alte-
rum accipe quem stupida licet sen-
sere tamen maria, & studiosæ mi-
ratae sunt Athenæ. Is fuit Cynegy-
rus Atheniensis, qui cum palantes
Medos, Persasque ad naues compu-
lisset, nauem hostibus onustam de-
xtrâ tenuit, deinde hac hostium
ferro amputatâ, læuam nauigio in-
iecit, idque remoratus est; eâ rursus
amputatâ, arreptâ mordicus nauim
defixit, tenuitque, raro sane fortitu-
dinis

394 DE FORTIT. CHRIST.
dinis exemplo : quod mirari om-
nes, imitari pauci, & forte ne vnus
omnium possit.

Quod si ea Heroibus illis insita
vis animi, vel ipsâ tantum naturâ
duce, quæ debet esse christiano
militi, cui ad naturam ipsa quoque
gratia accesserit, ab illa que senserit
se cælo pugnare, non terris, nō glo-
riæ, trophæisq; breui perituris mi-
litare, sed Deo, beatęque æternitati.

FINIS.

IN-





INDEX CAPITVM ET
PARAGRAPHORVM.

CAPVT I.

Quid sit, & quotuplex Fortitudo? pag. 3
CAPVT II. Quæ sint partes fortitudinis? 8

LIBER PRIMVS.

De Actibus Fortitudinis, qui in sustinendo positi sunt. 18

CAP. I. De morbi molestiis æquanimiter tolerandis. 20

§. 1. Quid sit morbus? & quæ illius causæ? 22

§. 2. Quæ in morbo afflictioni esse soleant? quæ etiam præsidio? 29

§. 3. Qui fructus è morbo corporis, ad animum emanare soleant? 40

§. 4. Præclara quædã singularis in morbo patientiæ exempla. 51

§. 5. Opportunæ in morbo considerationes. 56.

CAPVT II. De morte 65

§. I.

INDEX CAPITVM,

- §. 1. *Mors ineuitabili Natura lege, ac necessitate imposita: æquo constantique animo excepta actus est fortitudinis.* 66
- §. 2. *Mors in Iuuentute alacriter obita actus est fortitudinis.* 83
- §. 3. *Mortem propinquorum tolerare fortiter excelsi est animi.* 99
- §. 4. *Mors gratiã amicorum excepta fortem animum probat.* 116
- §. 5. *Eadem veritas declaratur heroicã filij in parentem pietate.* 125
- §. 6. *Qui iuuandis pestiferã lue infectis ultro se deuouet, inter christianos Heroes numerandus.* 130
- §. 7. *An qui peste laborantibus ex caritate assistit, in eoque officio moritur, inter Ecclesiæ Martyres sit accensendus?* 146
- §. 8. *Mors pro religione, pro fide excepta eximius actus fortitudinis.* 158
- §. 9. *Praeclara incitamenta patientiæ, ac fortitudinis ex Tertulliano desumpta.* 173.
- §. 10. *Effusa Martyrum etiam in tormētis lætitia, atque exultatio.* 179
- §. 11. *Qui filium, ciuium suorum libertati immolat: nã ille fortis.* 191
- §. 12.

ET PARAGRAPHORVM.

- §. 12. *De ciuili morte, siue exilio æquanimiter tolerando.* 196

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIUM.

Quid sit, & quotuplex iniuria. 209

CAPVT I. *Iniuriarũ tolerantia, eximius actus Fortitudinis.* 212

§. 1. *De iniuriã quæ solis verbis infertur.* *ibid.*

§. 2. *De iniuriã quæ fortuna bona dissipat, atque euertit.* 218

§. 3. *Opportuna considerationes, quæ solatio sint in amissione bonorum externorum.* 229.

§. 4. *Altera consideratio, eaque maximi momenti, quod diuitiæ plerumque sint occasio peccandi, & abeundi à virtute, summoque bono, id est, Deo.* 240

CAP. II. §. 1. *De iniuria, ac macula illata bono nomini.* 247

§. 2. *Pia meditatio cum acrius animum extimulabunt iniuriæ.* 257

CAP. III. §. 1. *De iniuriã quæ corpus malè afficit, ac lædit.* 260

§. 2. *Exempla singularis patientiæ in iniuriã corpori illatã.* 272

INDEX CAPITVM,

- §. 3. De iniuria quæ vitam nostram, aut propinquorum impetit. 280
- §. 4. Afferuntur ex Senecâ nonnullæ similitudines quæ solatio sint, cum viderimus viros bonos pro virtute, Deoque pati. 285.
- §. 5. Nonnulla subsidia ad patientem quorumvis iniuriarum possessionem. 293
- §. 6. In Sapientem non cadit iniuria. 300

LIBER TERTIVS.

PROOEMIUM.

De fortitudine, constantiâque Christianâ in malis publicis. 312

CAP. I. §. 1. In malis publicis remediũ, ac solatium peti debet à diuinâ providentiâ, quæ ea vel facit, vel patitur. 315

§. 2. In publicis calamitatibus solatio est meditatio vicissitudinis, senectutis, & occasus rerum omnium. 322

§. 3. Sapienti nec novas, nec miras videri debere publicas calamitates. 331

§. 4. Publica mala à Deo immitti ad castigandam sæpius in hac vitâ insignem hominum malitiam: ne eam grauius puniat in æternitate, & hoc viro forti, ac iusto solatium. 337

ET PARAGRAPHORVM.

§. 5. *Quomodo publicæ calamitates Dei electos terris eripiant, ut cælo reddant.*

349.

§. 6. *E malis publicis bona publica Deus elicit, & è priuatis priuata: & hoc bono menti solatio est.*

357

Oratio D. Augustini paulo ante obitum in obsidione Hipponensi composita, eius operibus non contenta, à Cardinale Soripando, olim Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini, Patribus Concilij Tridentini exhibita.

372

De actu Fortitudinis qui in aggressione consistit.

373

CAPVT VNICVM. *De fortitudine militari.* 374.

§. 1. *Quæ militari fortitudini sint aduersa?*

375

§. 2. *Virtutes annexæ militari fortitudini.*

378

E R R A T A.

Volupte pro volupe, p. 60. l. 7. alio pro alios, p. 62. l. 10. iam pro tam, p. 65. l. 7. cum pro eam p. 100. l. 11. densatur pro densantur. p. 88. l. 3. leue pro lene, p. 124. l. 15. cogitatione pro contagione, p. 131. l. 16. terdenis pro tredennis, p. 168. l. 4. eam pro iam, p. 227. l. 18. tradant pro trudent, p. 234. l. 18. Progo pro Drogo, p. 242. l. 3. martyr omitti debet p. 185. l. 4. anima pro nimia, p. 362. l. 13. nimia pro animi. p. 362. l. 14.

APPROBATIO.

Libellus præsens R. in Christo P.
IACOBI LOBBETII Societatis
IESV, cui titulum fecit DE FORTI-
TVDINE ET CONSTANTIA
CHRISTIANA, lucem omnino me-
retur, quod testor hac 13. Iunij 1640.


IO: A CHOKIER *Vicarius*
Generalis Leodien.


Societ. Iesv Paderb. 1655.


FACULTAS R. P.
PROVINCIALIS.


EGo *infrascriptus Societatis IESV in*
Gallo-belgica Prouincialis, potestate
mihî ad hoc facta à Reuerendo adm: P. N.
Generali, facultatem concedo, vt Libri tres
DE FORTITVDINE ET CON-
STANTIA CHRISTIANA; à P.
IACOBO LOBBETIO *dictæ Societa-*
tis conscripti, eiusdemque Societatis Patrum
iudicio approbati, typis mandetur. Datum
Leodij 25. Aprilis 1640.


FLORENTIVS DE
MONTMORENCY

















Th
2881